Zu den

öffentlichen Prüfungen

sämmtlicher Classen

des Fürstlichen Gymnasiums und der Realschule

Donnerstag am 30. und Freitag am 31. März,

sowie zu dem

Sittenfest

Freitag am 31. März Nachm. 4—5½ Uhr

ladet ein

Dr. Rehdantz, Director.

Inhalt des Programms: 1) *Exercitationes criticae in Aristophanem*, vom Hrn. Gymnasiallehrer Anz. — 2) *Schulnachrichten* vom Director.

Rudolstadt, 1871.
Druck der F. priv. Hofbuchdruckerei.

Exercitationes criticae in Aristophanem.

Quot vitia tam Aristophanis quam omnino poëtarum scenicorum fabulae traxerint, personarum notis falso descriptis, nemo non intelliget, qui quantopere in hac re libri manu scripti fluctuent et quam mira persaepe sive singuli sive universi praebeant, inspexerit. Nomina autem eorum qui agunt, quum in nostris codicibus permultis locis, ubi indicanda erant, vel temporum iniquitate vel scribarum neglegentia prorsus omissa sint, permultis novam personam agere lineola tantum indicetur, minimam in hoc genere codicum esse auctoritatem apparet.[1]) Qua de causa jure suo homines critici in verbis personis singulis distribuendis multo magis, quid cujusque loci sententia et indoles postularet, quam quid codicum fide confirmatum esset, quaesiverunt. Hinc quantum lucis fabulis Aristophanis allatum sit, non fugit eum, qui priores fabularum editiones cum recentioribus comparat. Neque tamen etiamnunc desunt loci, qui quum personarum vices minus probabiles exhibeant et facillima opera possint sanari, medelam suam nondum nacti sunt, non desunt alii ejusdem generis, ubi quum certissima vestigia corruptelae exstent, quid poëta scripserit, difficillimum est invenire. Iam vero singulos locos, qui quum ejusmodi peccatis depravati videantur, in integrum non restituti sunt, inspiciamus.

Pac. 268:[2])

Bellum, cui dei omnium Graecorum potestatem concesserunt, Cydoemum servum Athenas misit, pistillum petitum, quo urbes Graecae pacis tam diu fastidiosae contererentur. Trygaeus senex, quam maxime sollicitus, precatur, ut pereat ille, neve quod iussus erat afferat. Sed hoc ipso puncto temporis servus revertitur. Versum, qui reditum ejus indicat, et libri mss. et editores, quantum equidem video, omnes sic distinxerunt:

ΠΟΛ. οὗτος (vel *οὗτος —*). *ΚΥΔ τί ἔστιν*; *ΠΟΛ. οὐ φέρεις*; *κτλ.*

At quo jure hoc loco voces *τί ἔστιν*; servus sibi vindicet, quem quid sibi velit erus non opus est interrogare, ego non intellego. Nam quod Richterus in editione fabulae statuit, perterritum Cydoemum Belli compellatione haec edidisse, arcessita est interpretatio,

---

[1]) cf. Hamakerum Mnemos. III. p. 27.

[2]) Edit. Theodori Bergkii altera correctior. Lipsiae 1861.

siquidem aliis locis, ubi eadem locutione Aristophanes utitur, simpliciter ejus est, qui quid ab altero appelletur, interrogat (cf. Ran. 312; Av. 49). Itaque dubito an servus erum alloquatur pronomine **οὗτος**, hic vero, quum videat illum infecta re venientem, cum indignatione vel admiratione quaerat: *τί ἔστιν; οὐ φέρεις;* Minime enim crediderim doctrinae ab Hamakero Mnemos. VI p. 212 propositae, nusquam dominum a servo voce **οὗτος** appellari; cui non solum, quem vir doctissimus mutavit Ran. 312, sed etiam ejusdem fabulae v. 479 obstat. Et nimirum, quae tunc Athenis servorum condicio erat, non poterant eri familiaritatem eorum vel insolentiam continere. — Potest tamen hoc loco etiam ipsum pronomen Bello attribui, ut unius sint omnia: *οὗτος, τί ἔστιν, οὐ φέρεις;* (cf. Eq. 240. 1354, Nub. 723, Pac. 682, Av. 1164. 1567, Plut. 440).

Lys. 54—59.

Lysistrata concionem mulierum Atheniensium convocavit, quarum quum certa hora nulla adsit, feminarum levitatem vehementissime conqueritur. Tandem Calonice accedit. Incusat illa segnitiem mulierum, haec excusat moramque non culpae eis tribuendam esse probare amicae studet. Deinde exspectantes socias de consilio suo confabulantur usque ad. v. 53. Sequentia vulgo sic leguntur:

ΛΥΣ. ἆρ' οὐ παρεῖναι τὰς γυναῖκας δῆτ' ἐχρῆν;
ΚΑΛ. οὐ γὰρ μὰ Δί, ἀλλὰ πετομένας ἥκειν πάλαι.
ΛΥΣ. ἀλλ' ὦ μέλ', ὄψει τοι σφόδρ' αὐτὰς Ἀττικάς,
ἅπαντα δρώσας τοῦ δέοντος ὕστερον.
ἀλλ' οὐδὲ παράλων οὐδεμία γυνὴ πάρα,
οὐδ' ἐκ Σαλαμῖνος. *ΚΑΛ.* ἀλλ' ἐκεῖναί γ' οἶδ' ὅτι
ἐπὶ τῶν κελήτων διαβεβήκασ' ὄρθριαι.

Haec personarum distributio vereor, ne non recta sit. Namque quum Calonice v. 15 sqq. Lysistratam vehementer ira commotam placare studuisset his verbis:

ἀλλ', ὦ φιλτάτη,
ἥξουσι. χαλεπή τοι γυναικῶν ἔξοδος κτλ.,

non potest eadem altero loco amicam etiam magis exacerbare; exacerbantis autem sunt illa: *οὐ γάρ — πάλαι.* Ego non dubito Lysistratae hunc versum continuare, ita ut haec ipsa verba sua tanquam infirma corrigat, gravitate eorum in majus aucta. — Sequentes autem versus duos, qui excusantis sunt non vituperantis, Calonicae attribuens totum locum sic scribo: *ΛΥΣ. ἆρ' οὐ - πάλαι ΚΑΛ. ἀλλ' ὦ - ὕστερον. ΛΥΣ. ἀλλ' οὐδὲ - Σαλαμῖνος. ΚΑΛ. ἀλλ' ἐκεῖναι - ὄρθριαι.*

Eccl. 82—109.

Mulieres, quae vestitu habituque virili in contionem iturae sunt, rogationem latum ad populum de administratione reipublicae ad feminas deferenda, ut de via et ratione, qua efficienda esset res nova atque inaudita, inter se colloquerentur, ante lucem convenerunt. Praxagora, cujus primariae sunt partes, exquirit, num accurate omnia, quae inter eas nuper convenerant, providerint. Profert alia aliud, ut ostendat, quantopere ut viri quam simillima

existeret, laboraverit. Itaque dux mulierum, postquam audivit, etiam barbis omnes instructas esse, vv. 73—75:

> καὶ μὴν τά γ' ἄλλ' ὑμῖν ὁρῶ πεπραγμένα.
> Λακωνικὰς γὰρ ἔχετε καὶ βακτηρίας
> καὶ θαἰμάτια τἀνδρεῖα, καθάπερ εἴπαμεν.

Neque vero mulieres desinunt operam suam et studium demonstrare. Quarum e numero una, quod baculum ingenti magnitudine gerit, lepidissime collaudatur (cf. vv. 76—81); altera, quae lanam se attulisse praedicat, ut ‚πληρουμένης ἐκκλησίας' lanificio operam navaret, tanquam amens a Praxagora vituperatur (vv. 82—88). Sed in libris mss. omnibus hic sententiarum ordo turbatus est, inter v. 81 (εἴπερ - δήμιον) et 82 (ταυτί-ἵνα) sex versibus injectis his:

> ΠΡΑ. ἀλλ' ἄγεθ'[1]) ὅπως καὶ τἀπὶ τούτοις δράσομεν,
> ἕως ἔτ' ἐστὶν ἄστρα κατὰ τὸν οὐρανόν.
> ἡκκλησία δ', εἰς ἣν παρεσκευάσμεθα
> ἡμεῖς βαδίζειν, ἐξ ἕω γενήσεται.
> ΓΡ. Α. νὴ τὸν Δί', ὥστε δεῖ σε καταλαβεῖν ἕδρας
> ὑπὸ τῷ λίθῳ τῶν πρυτάνεων καταντικρύ.

Kockius quidem[2]) hunc versuum ordinem conatus est ita tueri, ut censeat, mulierculam illam lanificii studiosam, quae de lana carenda protulisset, opposuisse nimiae celeritati ejus, quae verbis: νὴ τὸν Δί', - καταντικρύ ut statim in concionem festinarent, suasisset. Neque enim in comitio, sed eo ipso, quo prologus fabulae actus esset, loco operi suo muliebri eam voluisse studere. At hunc sententiarum nexum si poëta voluisset efficere, fieri non poterat, quin mulier altera auditis verbis sociae quam maximam celeritatem commendantis indignationem ostenderet. In comitio, non eo quo convenerant mulieres loco, lanam carere illam voluisse, satis arguere videntur v. 87 sq. ἰδού - ἔδει; quae verba nisi artificiosissima interpretatione non possunt sic accipi, ut vir de Aristophane optime meritus accepit. Haec quum ita sint, non dubito, quin jure suo Bergkius et Meinekius versus supra allatos transponendos esse judicaverint. Num suum locum viri doctissimi iis restituerint dubito. Primum enim illic quidem nullum vestigium lacunae exstat, immo aptissime post ea, quae de Agyrrhio sive Praxagora (Bergkius) sive alia mulier (Meinekius)[3]) dixit, pergit Praxagora: τούτου γέ τοι κτλ. Simillima enim est viri illius improbissimi et mulierum condicio. — Deinde alibi lacunam mihi videor deprehendisse, versibus illis explendam. Praxagora postquam vv. 87 sq. ἰδού γε κτλ. amentem illam mulierculam compellavit, non poterat statim pergere: οὐκοῦν καλά γ' κτλ. quum non quod sero ventura, sed quod lanificio omnium oculos in se conversura sit, illa vituperetur. At optimus erit sententiarum ordo, si verba

---

1) Sic Dindorfius, laudatus a Bergkio et Meinekio, conjecit; libri enim mss. partim γεθ' (R) partim λέγεθ' et λέγοιθ' exhibent.

2) Fleckeis. Annal. Suppl. III. p. 269 sq.

3) De personarum distributione cf. etiam O. Iahnium Hermes III, p. 178 sqq.

ἀλλ' ἄγεϑ' - ἔξ ἔω γενήσεται ante v. 89 (*οὐκοῦν - τύχοι*), reliquos autem versus duos ante quattuor illos positos post v. 88 (*οὐδὲν - ἔδει*) inseruerimus.[1]) Quo facto totius loci haec erit ratio: Postquam vidit Praxagora, mulieres virilem in modum ornatas esse, deinceps ea actura est, quae priusquam in contionem virorum cum sociis iret, agenda videbantur. Sed duae mulieres, ut erant cupidissimae prudentiae suae verbis extollendae, moram efficiunt. Ingens baculum altera, altera lanam et calathum attulit. Illa cum aliqua irrisione laudatur, haec ut rationis expers et consilii reprehenditur. Tum Praxagora monet, cetera quoque absolvenda esse, dum astra coelum distinguant. Prima enim luce contionem initium capturam, quo ne sero veniant, neve a viris agnoscantur, summo studio esse elaborandum. Nam nihil periculi sibi imminere, si ipsae ante viros in comitio consederint barbis praecipue ornatae. Hae quantum valeant Agyrrhii exemplo confirmatur, qui quum antea mulier fuerit, nunc utpote barbatus rempublicam gerat. Denique Praxagora mulieres ipsas eo consilio in contionem esse ituras, ut, si fieri possit, summam reipublicae a viris sibi vindicent, exponit.

Iam vero quaerenti, quomodo factum sit, ut versuum justus ordo tantopere turbaretur mihi probatum est, tempore vetusto scribae parum diligentis oculos a versu 79: *νὴ τὸν Δία κτλ.* ad v. 89 (ordinem a me propositum respicio): *νὴ τὸν Δί' ὥστε κτλ.*, cujus par est initium, ita aberrasse, ut versus novem medii interciderent.[2]) Postea vero in margine hi adscripti, tum in alio libro in locum alienum suppositi sint. Quo facto homo vetustus, quum vidisset, ordinem perversum esse, abreptus emendandae fabulae studio, eum quem nunc libri mss. exhibent ordinem constituerit.

Eccl. 924—936.

Libri mss. hanc personarum distributionem praebent:

ΝΕΑΝ. ᾆδ' ὁπόσα βούλει καὶ παράκυφϑ' ὥσπερ γαλῆ.
οὐδεὶς γὰρ ὡς σὲ πρότερον εἴσεισ' ἀντ' ἐμοῦ.
ΓΡ. Α. οὔκουν ἐπ' ἐκφοράν γε. ΝΕΑΝ. καινόν γ', ὦ σαπρά.

---

1) *σε* igitur v. 103 (*νὴ τὸν - ἕδρας*) non corruptum esse censeo; contra pro *ἕδρας* vereor ne restituendus sit numerus singularis *ἕδραν*.

2) Hujus generis peccata, quot traxerint libri mss. satis notum est; liceat tamen ex Aristophanis fabulis pauca quaedam exempla afferre. Eq. versum 414 R propter par versus proximi initium omisit. Eq. 963 sq. pro: *μολγὸν γενέσϑαι δεῖ σε. — κἄν γε τουτφί, φωλὸν γενέσϑαι δεῖ σε μέχρι τοῦ μυρρίνου* unum versum exhibet *M*: *μολγὸν γενέσϑαι δεῖ σε μέχρι τοῦ μυρρίνου.* Simillima est ratio Eq. vv. 1282 sq. in libris *RMΓΘΔV*[1]. Eq. vv. 1155—1157 in cod. *M* propter parem exitum versus antecedentis interciderunt. Item Eq. vv. 1320—1323 omissi sunt *Γ*[1], quum versus superior in eo quidem libro, quem reddidit auctor illius codicis, parem exitum exhiberet, atque v. 1323 (*Ἀϑήναις*); eandem ob causam Eq. vv. 1324—27 extrusi sunt in *A*, extrusi olim erant propter par initium duorum versuum in aliquo codice Eq. vv. 336 sq., unde accidit, ut cod. *M* vv. 336—339 est. line exhibeat: 338. 339. 337. 336; item Eq. v. 727 in libris *VΓΑΡΘΔ* falso post v. 729 positus ibus exemplis addo Av. 40 sq. 59. Nub. 114. 1100; Pac. 897; Plut. 712; Eq. 122. 143. 190.

ΓΡ. Α. οὐ δῆτα. ΝΕΑΝ. τί γὰρ ἂν γραὶ καινά τις λέγοι;
ΓΡ. Α. οὐ τοὐμὸν ὀδυνήσει σε γῆρας. ΝΕΑΝ. ἀλλὰ τί;
ἤγχουσα μᾶλλον καὶ τὸ σὸν ψιμύθιον;
ΓΡ. Α. τί μοι διαλέγει; ΝΕΑΝ. σὺ δὲ τί διακύπτεις; ΓΡ. Α. ἐγώ;
ᾄδω πρὸς ἐμαυτὴν Ἐπιγένει τὠμῷ φίλῳ.
ΝΕΑΝ. σοὶ γὰρ φίλος τίς ἐστιν ἄλλος ἢ Γέρης;
ΓΡ. Α δείξει γε καὶ σοί· τάχα γὰρ εἶσιν ὡς ἐμέ.
ὁδὶ γὰρ αὐτός ἐστιν ΝΕΑΝ. οὐ σοῦ γ', ὤλεθρε,
δεόμενος οὐδέν. ΓΡ. Α. νὴ Δί', ὦ φθίνυλλα σύ,
ΝΕΑΝ. δείξει τάχ' αὐτός, ὡς ἔγωγ' ἀπέρχομαι.

Apparet vices personarum non integras esse. Iure suo Bergkius, Meinekius, Dindorfius (Poët. Scen. Graeci. Lips. 1867)[1]) verba: οὐ σοῦ γ', ὤλεθρε, δεόμενος οὐδέν vetulae, insequentia: νὴ Δί', ὦ φθίνυλλα σύ, adolescentulae tribuerunt, quum φθίνυλλα non possit puella appellari. Hac autem emendatione prorsus necessaria recepta, fieri non poterat, quin etiam plura mutarentur.

Itaque Meinekius et Dindorfius initium versus 934: ὁδὶ γὰρ αὐτός ἐστιν puellae dederunt, v. 936: δείξει - ἀπέρχομαι juvenculae continuaverunt. Sed gravius totum locum corruptum esse, quam qui emendatione tam facili restituatur, Bergkius censuit. Quod jure suo virum doctissimum judicasse, ut intellegatur, necesse est, in antecedentia quoque diligentius inquiramus. A versu igitur 893 usque ad v. 923 anus illa et puella, quarum utraque amatorem exspectat, de fenestra domus superioris[2]) in viam prospicientes, canendo et tempus terere et juvenes allicere student. Initium facit vetula (vv. 893 — 899); ei respondet cantilena juvenculae (vv. 900 — 905); qua quum illa vehementissima ira affecta sit, tertia stropha (vv. 906 — 911) conviciis in aemulam invehitur, haec vero strophae quartae (vv. 912 — 917) parte priore, amator quod nondum venerit, conqueritur, parte altera ludibrio vetulam et irrisioni habet. Sequitur denique in libris mss. et a plerisque editoribus soli vetulae tributa haec stropha:

ἤδη τὸν ἀπ' Ἰωνίας
τρόπον τάλαινα κνησιᾷς:
δοκεῖς δέ μοι καὶ λάμβδα κατὰ τοὺς Λεσβίους.
ἀλλ' οὐκ ἄν ποθ' ὑφαρπάσαιο
τἀμὰ παίγνια, τὴν δ' ἐμὴν
ὥραν οὐκ ἀπολεῖς οὐδ' ἀπολήψει.

Ultima verba: τὴν δ' ἐμὴν ὥραν οὐκ ἀπολεῖς οὐδ' ἀπολήψει, sive de juvenis flore, vocem ὥραν sive de ejus, quae allicit amatorem, acceperis, anu prorsus aliena sunt. Iure igitur, si quid sentio, Bergkius tres ultimos versus (ἀλλ' - ἀπολήψει) puellae dedit, Meinekius aut ὥραν corruptum aut cum Bergkio faciendum esse, statuit. Sed ne argumentum quidem

[1]) cf. etiam Velsenum: observ. crit. in Arist. p. 15.
[2]) cf. Kockium in Fleckeis. Annal. Suppl. III. p. 287.

totius loci consiliumque poëtae vulgatam personarum distributionem tueri videntur. Nam quum juvencula v. 887 se cum vetula certamen canendi inituram (cf. **ἀντᾴσομαι**) dixisset, adeoque eam facetiis vinceret, ut prorsus impotem anum sui videamus, non poterat Aristophanes rem sic instituere, ut prior puella canere desineret. Quae cum ita sint, Bergkio non dubito ita assentiri, ut vv. 921—923 puellae vindicandos esse et ipse censeam. — Iam vero ad diverbii versus, unde haec disputatio orta est, redeamus. In his quid sibi vellent verba vetulae (v. 926): **οὔκουν ἐπ᾽ ἐκφοράν γε** (scil. nemo ad me prius quam ad te veniet) obscurum est. Nam sive de mortuo efferendo sive, quod scholiasta suasit, de muneribus amatori datis vocem **ἐκφοράν** accipis, futilia illa et prorsus non ferenda sunt. Deinde non video, quo jure vv. 928 sq. puella dicat, fucum sibi aemulae molestum futurum. Postremo etiam vv. 930 sq. non exigua difficultate laborare mihi persuasum est. Quid enim verba: **ἐγώ; ᾄδω πρὸς ἐμαυτὴν Ἐπιγένει τῷμῷ φίλῳ**, quo pacto cum interrogatione antecedente: **σὺ δὲ τί διακύπτεις**; conveniunt? Potius priori illi: **τί μοι διαλέγει**; respondent, sicut Ach. 1114 Dicaeopolis, compellanti eum Lamacho, quod secum collaquatur, respondet:

οὐκ ἀλλ᾽ ἐγὼ χὼ παῖς ἐρίζομεν πάλαι.

Ut brevi, non dubito, quin hic locus tot vitiis adspersus sit, quot praeter eum pauci vel nullus non solum hujus sed omnium Aristophanis fabularum; quod tempore antiquo factum esse perspicuum est. Ortam autem esse ejusmodi depravationem, postquam aliquot versus aliunde irrepserunt, hominis alicujus veteris studio emendandi, mihi persuasi, comparans cum hoc vexatissimo alterum Ecclesiazusarum locum. Vv. 1030 sqq. juvenis, qui puellam aditurus a vetula illa retentus est, quum intellexerit, se non missum iri a muliere libidinosa, haec eam jubet providere:

ὑποστόρεσαί νυν πρῶτα τῆς ὀριγάνου
καὶ κλήμαθ᾽ ὑπόθου συγκλάσασα τέτταρα
καὶ ταινίωσαι καὶ παράθου τὰς ληκύθους
ὕδατός τε κατάθου τοὔστρακον πρὸ τῆς θύρας.

Lectum igitur funebrem exornare ceteraque, quae moris erant apud Graecos, quum corpora mortuorum proponerentur, apparare juvenis anum jubet. Excipiunt autem illa hi versus:

ΓΡ. Α. **ἦ μὴν ἔτ᾽ ὠνήσει σὺ καὶ στεφάνην ἐμοί.**
ΝΕΑΝ. **νὴ τὸν Δί᾽, ἤνπερ ᾖ γέ που τῶν κηρίνων.**

Ludit poëta in similitudine vocum **στεφάνη** i. e. frontis redimiculum et **στέφανος** i. e. corolla; **κήρινοι** autem **στέφανοι** mortuorum ornamentum videntur significare, quales etiam Artemidoro Onirocr. I, 77 [1]) commemorantur. Iam vero quam maximam admirationem mihi movet, quod vetula acerbissimam irrisionem, qua senectutem ejus et infirmitatem juvenis carpit, tam aequo fert animo, ut nullam vel indignationem vel admirationem ostendat. Huc accedit, quod responsum ejus in eo sententiarum ordine, quem vulgata

---

[1]) cf. Meinek. Vindic. Aristoph. p. 64; aliter de hoc loco judicavit Kockius Fleckeis. Annal. Suppl. III. p. 285.

praebet, cum antecedentibus non satis cohaeret. Ne multa, vv. 926—929 *οὔκουν-ψιμύθιον* post v. 1033 (*πρὸ τῆς θύρας*) ponendos esse censeo, non juvenculae et vetulae sed huic et juveni distributos. Optime enim initium hujus loci: *ΓΡ. Α. οὔκουν ἐπ' ἐκφοράν γε* eis, quae juvenis anum apparare jusserat, conveniunt; nec minus apte verba juvenis: *ἀλλὰ τί; -ψιμύθιον* excipiuntur versu 1034: *ἦ μὴν-ἐμοί.* media verba: *καινόν γ', ὦ σαπράλέγοι* non dubito quin corrupta sint; quomodo sanari possint nescio. Quaeritur, quomodo vv. 924—936, his quatuor loco suo remotis, restituendi sint. Nam personarum vices a Bergkio propositas probari non posse v. 932 arguit, quod quum vocabulum *Γέρης* procul dubio senectutem vetulae irrideat, totus versus soli juvenculae convenit. V. 930 corruptum esse supra indicavi; verba *τί μοι-διακύπτεις;* uni sive vetulae sive juvenculae tribuenda sunt. Quamquam, ut vulgo leguntur, non possunt uni dari. Fortasse scripsit poëta: *ΓΡ. Α. τί μοι διαλέγει, τί δὲ σὺ διακύπτεις; ΝΕΑΝ. ἐγώ; ᾄδω πρὸς ἐμαυτὴν Ἐπιγένει τὠμῷ φίλῳ.* Vv. 924—25 post v. 931 collocaverim, unde successerint in eum quem nunc tenent locum, ne praepositioni *ἐπί* v. 926 deesset, quo posset spectare. V. 932 injectus sit, quo pertinerent verba: *δείξει γε καὶ σοί.*[1]) Totum igitur locum olim hunc fuisse existimo:

> *ΓΡ. Α. τί μοι διαλέγει, τί δὲ σὺ διακύπτεις; (?) ΝΕΑΝ. ἐγώ;*
> *ᾄδω πρὸς ἐμαυτὴν Ἐπιγένει τὠμῷ φίλῳ.*
> *ΓΡ. Α. ᾆδ' ὁπόσα βούλει καὶ παράκυφθ' ὥσπερ γαλῆ.*
> *οὐδεὶς γὰρ ὡς σὲ πρότερον εἴσεισ' ἀντ' ἐμοῦ.*
> *ΝΕΑΝ. δείξει γε καὶ σοί. τάχα γὰρ εἶσιν ὡς ἐμέ.*
> *ὁδὶ γὰρ αὐτός ἐστιν. ΓΡ. Α. οὐ σοῦ γ', ὤλεθρε,*
> *δεόμενος οὐδέν. ΝΕΑΝ. νὴ Δί', ὦ φθίνυλλα σύ,*
> *δείξει τάχ' αὐτός, ὡς ἔγωγ' ἀπέρχομαι.*

Pac. 38—50.

Ut hoc Ecclesiazusarum loco et personarum notas perversas et versuum ordinem depravatum et additamentum a poeta alienum insertum esse mihi persuasi, sic in Pacis quoque prologo et falsas personarum vices et versum spurium inde natum mihi videor deprehendisse. Quod ut recte intellegatur, primum videamus, quomodo exordium fabulae institutum sit. Induxit igitur poëta duos servos, quorum alter placentam foetidissimam stercore parat, alter scarabaeo ingenti et quam edacissimo affert comedendam. Mox taedet illum negotii turpissimi; itaque ne plures etiam placentas pinsat recusat, quod sentinae odorem non amplius possit ferre. Cui hic respondens, ipsam sentinam se scarabaeo appositurum, scena discedit. Tum collega, postquam sortem suam miserrimam conquestus est, janua stabuli vel specus, ubi degebat monstrum, paulisper patefacta, quum avide scarabaeum stercus devorantem videat, figuram motusque bestiae spectatoribus describit.

---

[1]) de ejusmodi additamentis cf. Leutschium Philol. Suppl. I, p. 121 sqq. et Cobetum Mnemos. VI, p. 27 sq.

Haec autem excipiunt inde a v. 38 ea, quae ut intacta corruptelis existimem, non possum a me impetrare. Versus, nullis personarum notis adjectis, hi sunt:

μιαρὸν τὸ χρῆμα καὶ κάκοσμον καὶ βορόν.
χὤτου ποτ' ἐστὶ δαιμόνων ἡ προσβολὴ
οὐκ οἶδ'. Ἀφροδίτης μὲν γὰρ οὔ μοι φαίνεται.
Οὐ μὴν χαρίτων γε. τοῦ γάρ ἐστ'; οὐκ ἔσθ' ὅπως
τοῦτ' ἔστι τὸ τέρας οὐ Διὸς καταιβάτου.
Οὐκοῦν ἂν ἤδη τῶν θεατῶν τις λέγοι
νεανίας δοκησίσοφος, τὸ δὲ πρᾶγμα τί;
ὁ κάνθαρος δὲ πρὸς τί; κᾆτ' αὐτῷ γ' ἀνὴρ
Ἰωνικός τίς φησι παρακαθήμενος·
δοκέω μέν, ἐς Κλέωνα τοῦτ' αἰνίττεται,
ὡς κεῖνος ἀναιδέως τὴν σπατίλην ἐσθίει.
ἀλλ' εἰσιὼν τῷ κανθάρῳ δώσω πιεῖν —
ἐγὼ δὲ τὸν λόγον γε τοῖσι παιδίοις - - - φράσω.

Haec quomodo distribuenda sint servis, editores mirum quantum fluctuant. Bentlei., Brunck., Invern., Beck., Boisson., Bothius codices secuti servo alteri omnia continuarunt usque ad verba: **οὐ μὴν χαρίτων γε** (v. 41), servo priori dederunt: **τοῦ γάρ ἐστ'**; deinde alteri: **οὐκ ἔσθ' ὅπως - καταιβάτου**, priori vv. 43—49, denique vv. 50 sqq. alteri dederunt; Dobraeus, quem secutus est Meinekius, priori: **οὐκ ἔσθ' ὅπως - καταιβάτου** et v. 49, cetera alteri, Dindorfius in Oxoniensi et Parisiensi praeter v. 49 sola verba: **τοῦ γάρ ἔσθ'**; priori concessit, in Lipsiensi 1867 et Bergkius priori vv. 38—41: **οὐ μὴν χαρίτων γε** et **οὐκ ἔσθ' ὅπως - καταιβάτου** (vel **σκαταιβάτου** cum Meinekio), et vv. 50 sqq. priori, cetera alteri attribuerunt, Richterus priori vv. 40 sq. **Ἀφρ. — Χαρ. γε**, vv. 41 sq. **οὐκ ἔσθ' - καταιβάτου**, v. 49. Alias personarum vices Reisigius Conj. p. 247 proposuerat; Florens Christianus solum v. 49 prioris esse censuerat. Vides quanta sit hominum criticorum dissensio. Neque tamen quemquam eorum verum vidisse persuasum habeo. Manifestum est, hos versus omnes praeter unum v. 49 ab uno potuisse pronuntiari, qui et secum (vv. 40—42), et cum spectatoribus (vv. 43—48, 50 sqq.) colloqueretur. Immo debebat potius, si quid sentio, idem, qui futiles spectatorum sententias prompserat (vv. 43—48) etiam refellere inania illa; neque poterant vv. 50 sqq. alii personae attribui. Versus autem 41 et ipse multo est elegantior, si uni attribuatur ita, ut secum ille rem novissimam reputans ex semet ipse quaerat: **τοῦ γάρ ἐστ'**; et postquam aliquamdiu eam perpendit respondeat: **οὐκ ἔσθ' ὅπως κτλ.** Iam vero cuinam videtur quum omnino artis legibus tum Aristophanis ingenio convenire, quod nulla necessitate coactus poeta, quem modo (v. 18) removit de scena, eum primum reducat pauca quaedam pronuntiaturum, quae aptius alteri servo poterant continuari, deinde rursus removeat versu sententiarum ordinem et nexum quam maxime incommode perturbante? An quisquam negaverit voces: **ἐγὼ δὲ κτλ.** v. 50 multo elegantius opponi spectatorum illis commentis vv. 43—49 expositis, quam verbis servi iterum discedentis? Quid quod in Equitibus vv. 40—72, quum consilium fabulae postularet, ut

duo servi in scaena adessent, tamen quae explicanda erant spectatoribus, ut argumentum fabulae intellegerent, unus exponat? Neque dissimilis est ratio Av. 27—48, quibus addere possumus Vesp. 74—85. Haec enim quum libri mss. inter Sosiam et Xanthiam distribuerint, scholiasta ad v. 75 annotat: τινὲς ἀμοιβαῖα, χαριέστερον δὲ λέγεσθαι αὐτὰ συνεχῶς πρὸς ἑνός.[1]) Ne plura poëta etiam in Pace non diverbiis, quid esset fundamentum fabulae, spectatores docuit; uni omnia tribuenda sunt, ejecto v. 49 ut molestissimo. Dubito autem, an hunc versum etiam scholiasta metricus non legerit, qui ab initio fabulae usque ad proanaphonema, quod dicunt, ἔα, ἔα (post v. 59) non undesexaginta sed duodesexaginta versus numeravit.[2])

Permultos locos fabularum Aristophanearum foedissime corruptos esse interpretamentis grammaticorum ita in textum receptis, ut genuinae lectionis vel singula vel plura verba extruderentur, viros doctos non fefellit.[3]) Cujus rei exemplum affero et simplicissimum et dilucidissimum Av. 1096, ubi quum poëta scripsisset ἡλιομανής, omnes libri mss. praeter optimum cod. R exhibent: ὑφ' ἡλίῳ μανείς, R autem, interpretamento et genuina lectione in unum confusis: ὑφηλιομανής. Iure igitur homines critici huic observationi plurimum tribuerunt momenti, atque ita permulta menda sive sanarunt sive indicarunt. Ut pauca exempla afferam, probabiliter Engerus Mus. Rh. II, p. 469 ad Lys. 279 ἀπαράτιλτος, Roscherus Mus. Rh. XXIV, p. 628 ad Thesmoph. 138 λύρα, Weckleinus Mus. Rh. XXIV, p. 548 ad Nub. 482 ἀρδομέναν (vel ἀρδομένην), Hirschigius l. l. ad Vesp. 496 ἥδυσμά τι et ad Pac. 530 ὀπώρας pro interpretamentis judicaverunt.

---

1) Scholiastae jure suo, opinor, assensus est Hamakerus Mnemos. III. p. 38 sqq. — Aliter judicavit Engerus Fleckeis. Annal. LXXIX, p. 748.

2) Hic moneo, cavendum esse, ne libentius eis locis, ubi numeri versuum a scholiastis veteribus indicati cum libris mss. non conveniunt, statim de corruptela illorum cogitemus. Quod, ut exemplum afferam, commisit Hensius in libro de Heliodoro metrico nuper edito, quum p. 88 nostro loco pro scholii numero η' poscit θ'. Idem multo etiam audacius in alio scholio metrico, quod quum in Veneto Pac. 180 adscriptum sit ad v. 173 pertinere apparet, pro να' et λη' utroque loco λα' scribendum esse conjecit. Quod minime probabit, qui Bambergii disputationem in libello de Rav. et Ven. Arist. codic. de illo loco institutam inspexerit. Neque enim vocibus μετ' ἄλλους (i. e. *nach weiteren*) corruptelam numerorum indicari, quisquam libri illius doctrinae et diligentiae laude insignis auctori concedet.

3) cf. ea quae Helbigius Fleckeis. Annal. LXXXIII. sq. p. 537 de hoc genere errorum monuit: „Archetypon, ex quo derivati sunt codices Aristophanei superstites, necesse est instructum fuerit scholiis vel in margine paginarum vel inter lineas adscriptis. Multae enim corruptelae vel in tradenda scriptura ex eo sunt ortae, quod semotis quae olim scripta exstiterunt verbis interpretatiunculae a grammaticis ascriptae in textum irrepserunt. Quamquam hujus generis vitia difficillima sunt ad sanandum, cum raro quid olim exaratum fuerit distincte possit adfirmari.

Idem mihi videtur mendorum fons fuisse eis locis, de quibus jam disputare mihi proposui.

Eq. 813 sq.

Cleon apud Demum conquestus est, quod ab isiciario sibi obtrectaretur, quum multo melius ipse de civitate quam vel Themistocles meritus esset. Ei respondet Agoracritus:

ὦ πόλις Ἄργους, κλύεθ' οἷα λέγει. σὺ Θεμιστοκλεῖ ἀντιφερίζεις;
ὃς ἐποίησεν τὴν πόλιν ἡμῶν μεστὴν εὑρὼν ἐπιχειλῆ.

Opponuntur inter se tanquam contrariae notionis vocabula μεστός et ἐπιχειλής. Quod quo pacto fieri possit minine est perspicuum. Vox enim ἐπιχειλής, quum desumpta sit a vase usque ad marginem repleto, nihil significat nisi „omnibus numeris refertus;" vocis μεστός eandem fere vim esse, non est quod moneam. Paria autem quis inter se opponat? Scholiasta sane et grammatici quidam vetusti (cf. praeter alios Poll. II, 89) aliam esse illius vocabuli notionem sibi persuaserunt, quum interpretentur: ἐπιχειλῆ: ἐνδεᾶ. At haec vana est doctrina; cui non debebat applaudere Ribbeckius in editione fabulae, totum locum sic vertens:

O Argivisches Volk, hört, hört, was er spricht! Mit Themistokles willst du dich messen?
Der die Stadt bis zum Ueberfluss satt uns gemacht, *die er ärmlich gefunden und hungrig.*

Non grammaticorum commenta sed ipsius vocis naturam necesse est consulamus; neque ullus extat locus, ubi ἐπιχειλής non idem sit quod alibi ἰσοχειλής. Quod si quis velit vocabulum ἐπιχειλής ita interpretari, ut sit „non cumulate refertus," sententiam tamen probabilem eruet nullam. — Nam quod Hotibius (Lectiones Aristoph. p. 64) censuit, isiciarium, ut hominem plebejum et illiberalem, Themistoclis laudes arrodentem facetia invidiosa dixisse, illum Athenas, quas reperisset ad labra usque repletas, μεστὰς reddidisse i. e. bonis denique omnibus prorsus accumulasse; hanc interpretationem nullo fundamento niti apparet. Libenter isiciarius Themistoclem summis effert laudibus; neque poterat vir praeclarissimus dici usque ad labra urbem repletam invenisse, siquidem, ut recte animadvertit Kockius, non florentem etiam auxit opibus, sed eversam primum a Xerxe deinde a Dareo restituit. Quae quum ita sint totus assentior Kockio vocem μεστὴν a poëta abjudicanti. Dubito tamen, an vitium altius lateat, quam visum est viro doctissimo, qui pro μεστήν vel λεπτὴν vel simile quiddam scribendum esse conjecit. Equidem persuasum habeo, molestissimum illud μεστήν interpretamentum esse voci ἐπιχειλῆ adjectum; quo in textum recepto aliud vocabulum intercidisse crediderim. Neque nego, sententiam loci tantum non desperati talem fere notionem qualem Kockius restituere voluit, postulare, si εὑρών recte se habeat. At ego hoc participium quomimus poëtae esse credam, offensione haud levi prohibeor; haereo in usu absoluto, quem dicimus, vocis ἐπιχειλής, quam a poëta sic usurpatam esse, genetivo non adjecto parum mihi probatum est. Genetivum autem si pro interpretamento μεστήν restituerimus, nihil reliquum est, quo εὑρών spectet. — Ego conjicio poëtam haec scripsisse

ὦ πόλις Ἄργους, κλύεθ' οἷα λέγει· σὺ Θεμιστοκλεῖ ἀντιφερίζεις;
ὃς ἐποίησεν τὴν πόλιν ἡμῶν εὔχρων ἀγαθῶν τ' ἐπιχειλῆ.

εὔχρως, quum de homine usurpatur, aptissime is potest vocari, qui colore suo firmam prae se fert valetudinem. Tales autem praeter ceteros ii solent esse, qui victu satis liberali utuntur. Iam vero quum urbem Athenas proximis versibus imagine hominis laute prandentis videamus fingi, totius loci naturae vox a me restituta maxime convenit. *ΕΥΧΡΩΝ* autem quam facile in *ΕΥΡΩΝ* potuerit abire, per se apparet.

Eq. 1373.

Demum edoctum ab Agoracrito, quam inepte ad id tempus egisset et quantopere ludibrio esset habitus a Cleone aliisque hominibus non multo minus illo improbis, quum poeniteat temeritatis suae et stultitiae, libenter se in posterum bonis bonorum virorum consiliis usurum meliusque rempublicam gesturum esse promittit. Pluribus haec exemplis illustrantur. Inter quae est, quod ille se prospecturum dicit v. 1373. Versus in codicibus *ΜVΡΓΘΔ* hic est:

οὐδ' ἀγοράσει γ' ἀγένειος οὐδεὶς ἐν τἀγορᾷ.

in libris *RA*: *οὐδ' ἀγοράσει γ' ἀγένειος ἐν τἀγορᾷ οὐδείς.*[1])

Utramque lectionem depravatam esse, metrum documento est; medelam ut afferrent alii alia conjecerunt. Hermannus, cui Meinekius et Bergkius assensi sunt, proposuit: *οὐδ' ἀγοράσει γ' ἀγένειος οὐδ' ἐν τἀγορᾷ*; Dindorfius, a Ribbeckio laudatus: *οὐδ' ἀγοράσ- ἀγένειος οὐδεὶς ἐν ἀγορᾷ*; Kockius: *ἐν τἀγορᾷ τ' ἀγένειος οὐδεὶς ἀγοράσει.*

Ea quae de sententia hujus versus et proxime insequentium disputavit Meinekius Vind. p. 68 sq., quum vel lacunam post v. 1374 statuendam vel v. 1375 mutandum censet, satis redarguit Kockius Mus. Rh. IX, p. 505. Hoc tamen viro doctissimo non assentior, quod et l. l. et in editione fabulae verbum *ἀγοράζειν* de concionando hic usurpatum esse affirmat, eamque ab causam, quod libri mss. ei additum praebent *ἐν τἀγορᾷ* non supervacaneum esse censet. Luculenter potius Velsenus, qui de eodem loco quaestionem instituit Mus. Rh. XVIII. p. 125 sqq., videtur ostendisse, primum *ἀγοράζειν* hic nihil posse significare, nisi quod voluit scholiasta: *ἐν ἀγορᾷ διατρίβειν*, deinde verba *ἐν τἀγορᾷ*, quum nullo pacto possent ferri, ex interpretamento in textum irrepsisse. Quod si concedamus Kockio *ἀγοράζειν* hic esse concionari, valde tamen dubito num potuerit poëta addere illud: *ἐν τἀγορᾷ*. Adjecisse putandus sit propter versum insequentem: *ποῦ δῆτα Κλεισθένης ἀγοράσει καὶ Στράτων*; — at optime haec se habent, si statuamus priore loco *ἀγοράζειν* esse: *ἐν ἀγορᾷ διατρίβειν*, altero autem ludere poëtam in varia significatione ejusdem vocis ita, ut indicet Clisthenis illud et Stratonis studium apud populum loquendi nihilo differre ab hominum inertium consuetudine quotidie in foro versandi. Kockius sane persuasum habet, sententiam suam fulciri vv. 1382 sqq.: *μὰ Δί', ἀλλ' ἀναγκάσω κυνηγετεῖν ἐγὼ τούτους ἅπαντας παυσαμένους ψηφισμάτων.* At optime poëta, postquam primum promittentem fecit Demum, se id porro acturum, ne quis imberbis in foro otiaretur, postea eum morem

[1]) Pro *γ' ἀγένειος* R praebet: *τ' ἀγένειος*, *Θ*: *δ' ἀγ.*

carpit, quo „saepe adolescentuli vix epheborum numero egressi prudentia exigua, temeritate et loquacitate maxima, de maximis rebus primi disserebant et soli nonnunquam occupabant suggestum.“ Multo autem plus profiteri Demum, si non solum quominus verba apud populum faciant, sed etiam quominus in foro versentur juvenes, se prohibiturum dicat, nemo non intellegit. Iuvenis enim fuisse modesti omnino abstinere foro, quantum quidem fieri poterat, res est notissima, quare Isocr. VII, 48 de adolescentibus temporis vetusti scribit: **οὕτω δ' ἔφευγον τὴν ἀγορὰν ὥστ', εἰ καί ποτε διελθεῖν ἀναγκασθεῖεν, μετὰ πολλῆς αἰδοῦς ἐφαίνοντο τοῦτο ποιοῦντες.** Haec igitur quum ita sint, non dubito cum Velseno voces **ἐν τἀγορᾷ**, ut ex interpretatione verbi **ἀγοράζειν**: **ἐν ἀγορᾷ διατρίβειν** orta, ex textu removere. Sed quaesita sunt, quae Velsenus de loco emendando disputavit: „*das* **ἐν ἀγορᾷ διατρίψει** *des Scholiasten verdrängte als Glossem mit dem* **πο – ῦ** *des folgenden Verses das Richtige* **ἐν πόλει**.“ Quamvis enim diligenter observanda sit lex illa a Kockio ad hunc locum laudata, ne quem locum poëtae mutemus, quin etiam demonstremus, corruptela unde orta sit, Velsenus tamen nimius fuisse videtur in investiganda origine vitii. Nimirum satis fuit ad verba poëtae integra sua forma exuenda interpretamentum illud in textum receptum. Quo facto vel grammatici vel librarii vario modo eluere labem studuerint. Illa autem, quae Velsenus censuit extrusa esse verba, ipsa quoque quam maxime jejuna sunt; quo accedit, quod facilius poterant voces minoris momenti, quam hae graviores intercidere. Equidem dubito an poëta scripserit:

οὐδ' ἀγοράσει γ' ἀγένειος ὢν οὐδεὶς ἔτι.

Eq. 1229 sq.

Demos Cleonem, quem hominem improbum suique semper commodi, non communis studiosissimum tandem cognovit, Agoracrito isiciario cedere jussit. Sed ille, quominus obtemperet ero, recusans haec respondet:

οὐ δῆτ', ἐπεί μοι χρησμός ἐστι Πυθικὸς
φράζων ὑφ' οὗ δεήσει μ' ἡττᾶσθαι μόνον.

Versuum alterum, quem corruptum esse perversa ratio metrica docet, vario quidem modo homines docti, sed — ut quarto pedi iambum restituerent — ita ad unum omnes studuerunt sanare ut **δεήσει μ'** mutarent. Itaque Bentleius conjecit: **φράζων ὑφ' οὗ 'δ έ η σ ε μ' ἡττᾶσθαι μόνον**, Dindorfius, quem secutus est Velsenus: **φρ. ὑφ' οὗ χρεὼν ἐμ' ἡττᾶσθαι μ.**, Meinekius olim: **φρ. ὑφ' οὗ δῆτ' ἔστι μ' ἡττᾶσθαι μ.**, postea Vindic. p. 66: **φράζων ὑφ' οὗ χρῆσταί με νικᾶσθαι μόνον**; Kockius: **φρ. ὑφ' οὗ δίκη 'στι μ' ἡττ. μ.** Equidem dubito an aliam viam opus sit ingredi, ut vitium apertum deleatur. Per se optime habet **δεήσει** illud in dubium vocatum; quod contra verbum **φράζων**, si abesset, minime desideraremus. Facile autem poterat ex versu insequente hoc participium a grammatico addi, quo structura: **χρησμός μοί ἐστιν ὑφ' οὗ κτλ.** explicaretur.[1]) Ejecto igitur participio **φράζων** versus hic est: **ὑφ' οὗ δεήσει — ⏑ μ' ἡττᾶσθαι μόνον.** Reputanti autem, quomodo lacuna expleri posset, probabile mihi visum est, **δῆτα** voculam ante **μ' ἡττᾶσθαι** intercidisse. Quod quam facile potuerit accidere, non videt, si cui ab oculos versantur veteres litterarum ductus: **ΔΗΤΑΜΗΤΤΑ.**

[1]) cf. de simili additamento Bergkium ad Av. 425 Philol. XIV. p. 183.

Plut. 754 sq.

Plutus, qui ante caecus fuerat, Aesculapii beneficio sanatus est. Quo facto ad homines justos se contulit, improbos, quibuscum antea degerat, fugit. Illi igitur gaudio exsultarunt, de his vero Cario servus:

ὅσοι δ' ἐπλούτουν οὐσίαν τ' εἶχον συχνὴν
οὐκ ἐκ δικαίου τὸν βίον κεκτημένοι
ὀφρῦς ξυνῆγον ἐσκυθρώπαζόν θ' ἅμα.

Horum versuum medium Heimreichius (Miscell. crit. p. 21) et Bambergius (de Plut. p. 1 sq. et p. 34) ut spurium notaverunt; quorum illi scrupulum injecit, quod versus in codice longe praestantissimo R non legitur, huic dubitationem movit causa multo gravior haec, quod constans sermonis Graeci usus pro *ἐκ δικαίου* exposceret *ἐκ τοῦ δικαίου*. Sed ne ejecto quidem hoc versu difficultas omnis remota est. Ac primum vehementer me offendit, quod sententiam mutilasse videntur, qui peccandi notionem, qualem verba illa suspecta: *οὐκ ἐκ δικαίου κτλ.* exhibent, prorsus sustulerunt. Versus enim 751 sq.: *οἱ γὰρ δίκαιοι πρότερον ὄντες καὶ βίον ἔχοντες ὀλίγον κτλ.* comparans cum iis, in quos inquirere coepimus, parum verisimile esse existimo, in altero hominum genere describendo poëtam notionem probitatis expressisse, improbitatis in altero non item.

Accedit altera offensio haec, quod in elegantissimo quidem poëta tanta copia verborum, quantam praebet v. 754: *ὅσοι δ' ἐπλούτουν οὐσίαν τ' εἶχον συχνήν*, quorum ultima idem significant quod verbum *ἐπλούτουν*, suspicione corruptelae non vacat. Quae cum ita sint, dubito an poëtae pro duobus illis versibus *ὅσοι — κεκτημένοι* unus restituendus sit hic:

ὅσοι δ' ἐκακούργουν οὐσίαν τ' εἶχον συχνήν.

Quae quum explicata essent ab interprete v. 751 sq. respiciente: *ὅσοι δ' ἐπλούτουν οὐκ ἐκ τοῦ δικαίου τὸν βίον κεκτημένοι* ea, quae nunc in libris mss. legimus, conglutinata sint. Sed extremus quoque versus loci vexatissimi errorem procul dubio traxit. Nam quum verborum *ὀφρῦς ξυνῆγον* et *ἐσκυθρώπαζον* alterum altero explicetur, non novi quidquam hoc indicetur, adverbium *ἅμα* corruptum esse jure suo Meinekius Vindic. p. 215 statuit. Quod nisi altera obstaret offensio a viro egregio non notata, libenter in sententiam ejus concederem lacunam post hunc versum indicantis. At nusquam memini me legisse: *ὀφρῦς ἀνασπᾶν, ὀφρῦς* vel *μέτωπα συνάγειν* articulo non addito. cf. Ach. 1069: *καὶ μὴν ὁδί τις τὰς ὀφρῦς ἀνεσπακώς, ὥσπερ τι δεινὸν ἀγγελῶν, ἐπείγεται.*, Nub. 582 sq. *τὰς ὀφρῦς συνήγομεν κἀποιοῦμεν δεινά.*, Lys. 7 sq.: *μὴ σκυθρώπαζ' ὦ τέκνον· οὐ γὰρ πρέπει σοι τοξοποιεῖν τὰς ὀφρῦς.*, Alexis, Mein. frgm. com. III, 391: *τοὺς μὲν στρατηγοὺς τὰς ὀφρῦς ἐὰν ἴδω ἀνασπακότας δεινὸν μὲν ἡγοῦμαι ποιεῖν κτλ.*, Philem. Mein. l. l. IV, 56: *κἂν μέχρι νεφέων τὴν ὀφρὺν ἀνασπάσῃς.*, Menand Mein. l. l. IV, 242: *οὐκ ἄνω ἀνασπάσας τις τὰς ὀφρῦς.*, Antiphan. l. l. III, 158: *οὐ δεινόν ἐστι προσφάτους μὲν ἂν τύχῃ πωλῶν τις ἰχθῦς συναγαγόντα τὰς ὀφρῦς τοῦτον σκυθρωπάζοντά θ' ἡμῖν προςλαλεῖν*; Amphis l. l. III, 305: *ὦ Πλάτων, ὡς οὐδὲν οἶσθα πλὴν σκυθρωπάζειν μόνον ὥσπερ κοχλιὰς σεμνῶς ἐπηρκὼς τὰς ὀφρῦς*, Eq. 631 *κἄβλεψε νᾶπυ καὶ τὰ μέτωπ' ἀνέσπασεν.*, Vesp. 655: *ἀκρόασαί νυν, ὦ παππίδιον, χαλάσας ὀλίγον τὸ μέτωπον.*

Haec comparanti non uno mihi sed pluribus vitiis Pluti versus videtur laborare; quae leni medicamine vereor ne non possint sanari. Hoc constare videtur, *τὰς ὀφρῦς* poëtam scripsisse, *ϑ' ἅμα* non scripsisse. Quamvis autem saepe *σκυϑρωπάζειν* et *τὰς ὀφρῦς συνάγειν* conjuncta exstent, hic tamen extrinsecus alterum irrepserit, lectione genuina remota. Quod si quid liceat conjicere de loco fere desperato, equidem ausus sim poëtae haec vindicare:

δεινὸν ποιοῦντες τὰς ὀφρῦς ξυνήγαγον.

Eadem etiam Nub. 582 sq. et Alexidis loco supra commemorato conjuncta legimus. Corruptela autem hinc potuit nasci, quod versui interpretandi causa adscriptum erat: *ἐσκυϑρώπαζον*. Quo in textum recepto grammaticus imperitior versus eam conformationem, quam nunc libri mss. exhibent, de suo protulerit.

Av. 1439 sqq.

Pisthetaerus et Euelpides, rerum Atheniensium ut erant fastidiosi, relicta patria novam urbem in nubium regione condiderunt aviumque civitatem constituerunt. Cujus rei novae atque inauditae simulatque fama in terra pervulgata est, homines quidam improbissimi ejus generis, quod maxime conditoribus regni aërii demigrandi cupiditatem moverat, eo se conferunt, ut illorum opera et ipsi volucres existant. Horum in numero etiam est sycophanta, cui roganti, ut alis exornetur, Pisthetaerus, verbis se eum alitem redditurum esse promittit. Interrogatus autem ab homine nequissimo, id quo pacto fieri posset, respondet: *οὐκ ἀκήκοας,*

ὅταν λέγωσιν οἱ πατέρες ἑκάστοτε
τοῖς μειρακίοις ἐν τοῖσι κουρείοις ταδί·
δεινῶς γέ μοι τὸ μειράκιον Διιτρέφης
λέγων ἀνεπτέρωκεν, ὥστ' ἱππηλατεῖν.
ὁ δέ τις τὸν αὑτοῦ φησιν ἐπὶ τραγῳδίᾳ
ἀνεπτερῶσϑαι καὶ πεποτῆσϑαι τὰς φρένας.

Iure miros habuerunt homines doctos quae leguntur v. 1441: *τοῖς μειρακίοις*: absurdum enim est cum juvenibus illos, non cum aequalibus vel inter se talia confabulantes fingi. Quo accedit quod vocabulum *μειράκιον* etiam in versu proximo legitur. Itaque non dubium est, quin corruptelam locus traxerit. Hanc ut removeret Meinekius, laudatus a Kockio, sive *τοῖς φυλέταις* sive *τοῖς δημόταις* sive *τοῖς συγγενέσι* scribendum esse conjecit. At ne haec quidem emendatio, quamvis ingeniosa sit, adeo mihi placet, ut in ea acquiescam. Facilius crediderim, verbo *λέγωσιν* nullum omnino objectum a poëta additum esse, sed induci patres ita inter se de filiis colloquentes, ut alter alteri de sui moribus referat. Ego quum compararem alios locos, quibus moris illius in tonstrinis vel myropoliis confabulandi mentio facta est, ut Plut. 337 sq.: *καίτοι λόγος γ' ἦν νὴ τὸν Ἡρακλέα πολὺς ἐν τοῖσι κουρείοισι τῶν καϑημένων.* Eq. 1375 sq.: *τὰ μειράκια ταυτὶ λέγω τἀν τῷ μύρῳ, ἃ στωμυλεῖται* (?) *τοιαδὶ καϑήμενα*, conjeceram:

ἐν τοῖσι κουρείοις ταδὶ καϑήμενοι.

Postea vidi Weckleinum Mus. Rh. XXIV. p. 552 similia proposuisse haec:

ἐν τοῖσι κουρείοισι τοῖς καθημένοις.

Neque tamen hanc conjecturam ut meae praeferam, a me impetrare possum, quod non solum a tradita lectione illa longius recedit sed etiam sententiae minus videtur convenire.

Pergo ad alios quosdam locos, quibus sive varietas lectionum dubitationem de genuina scriptura movit, sive offensiones grammaticae vel metricae, sive sententiarum conformatio minus probabilis, verba poëtae non integra nobis tradita esse, ostendunt.

Eq. 32.

Nicias et Demosthenes, Demi servi, colloquentes inter se de fortuna sua miserrima, saluti suae omni opera et studio sibi consulendum esse statuunt. Quod quomodo facerent, postquam aliquamdiu disceptarunt, Nicias:

κράτιστα τοίνυν τῶν παρόντων ἐστὶ νῷν
θεῶν ἰόντε προσπεσεῖν του πρὸς βρέτας.

Huic quae Demosthenes respondet vario modo libri mss. tradiderunt. Liber enim praestantissimus R praebet: *ποῖον βρέτας; ἐτεὸν ἡγεῖ σὺ θεούς;* reliquorum plurimi (*MAPΘ*): *ποῖον βρέτας; ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς; VΓ: ποῖον βρεττέτας; ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς;* unus notae pessimae *Δ: βρέτας ποῖον βρέτας; ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς;* Vides conjecturas varias librariorum vel grammaticorum, qui quum loco corrupto mederi studerent, etiam magis, quid poëtae restituendum esset, ambiguum reddiderunt. Neque minus hujus aetatis homines criticos locus vexavit; quorum alii emendandi, alii interpretandi arte offensionem removisse sibi visi sunt. Inter eos C. Fr. Hermannus scripturam codicum *ΓV* levissima tamen emendatione ita mutatam, ut pro *βρεττέτας* scriberet *βρετέττας*, recepit. Barbare enim ut servum peregrinum Demosthenem induci loquentem. At hanc sententiam viro praeclarissimo non satis esse dignam, quippe quae nullo exemplo huic simili fulciretur, nemini non persuasit Kockius Mus. Rh. IX. p. 529. Neque est quod redarguamus alteram huic affinem Hotibii, qui scholiastae interpretationem, *ἐν παρολκῇ παίζοντα* poëtam haec scripsisse, quam fatui esse Brunckio libenter assentior, sic defendit, ut censeat, Demosthenem tam novum sibi esse fingere, quidquid ad deorum cultum pertineat, ut ne verbum quidem *βρέτας* agnoscat in eoque repetendo ridicule balbutiat. Talia cui probata erunt, equidem vereor, ne is omnia tueatur.[1])

---

[1]) Quantum valuerit nonnunquam etiam apud doctissimos viros et sagacissimos auctoritas veterum interpretum, ubi minime hi audiendi erant, hac occasione data uno exemplo ostendam. Ran. 307, Dionysus, ut Empusam, cujus subito adspectu perterritus aufugerat, abisse audivit, rediens ex latibulo suo:

οἴμοι τάλας, ὡς ὠχρίασ' αὐτὴν ἰδών.

Ad quae Xanthias servus haec respondet:

ὁδὶ δὲ δείσας ὑπερεπυρρίασέ σου.

Itaque interpretandi ars quum difficultatem non expedivisset, plerique emendando loco vexatissimo operam dederunt. Proposuerunt autem Reisigius: **ποῖον βρέτας θεῶν; ἐτεὸν ἡγεῖ θεούς;** Porsonus: **βρέτας; τὸ ποῖον βρέτας κτλ.;** Dobraeus: **ποῖον βρέτας; ἐτεὸν ὦ τάν κτλ.;** Dindorfius (1837): **ποῖον βρέτας πρός; κτλ.,** Meinekius: **ποῖον βρέτας; φέρ' ἐτ. κτλ.;** Hanovius (exerc. crit. p. 111): **ποῖον βρ.; σὺ δ' ἐτεὸν κτλ.**[1]) Klotzius (Iahn. Ann. IV, 434): **ποῖον βρέτας; ἐτεὸν γὰρ ἡγεῖ τοὺς θεούς;** Kockius olim: **ποίων βρέτας θεῶν**[2]), postea cum applausu Velseni: **ποίων βρέτας σύ γ'; ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς;** Apparet ex hac collatione, plerosque emendatores ejus lectionis, quam codex praestantissimus praebet: **ἡγεῖ σὺ θεούς** nullam rationem habuisse. Neque tamen est, cur prorsus spernatur, quum per se pronomen **σὺ** additum omni offensione careat, ei autem commendationi, quam ratio metrica lectioni ceterorum librorum affert, praecipue in versu aperte corrupto, minimum auctoritatis tribuendum esse appareat. Equidem dubito an utrique aliquid veri servaverint; poëta versum exeuntem sic conformaverit: **ἡγεῖ σὺ γὰρ ἐτεὸν θεούς;** Sed ne sic quidem initium versus: **ποῖον βρέτας;** vitio est levatum; metrum enim obstat. Quod si non obstaret, ego nihilo secius de integritate loci dubitarem. Nam quamquam recte monuit Ribbeckius, **βρέτας** nihil nisi dei statuam significare neque postulare adjectum **θεῶν,** tamen, quod ille negavit, hanc vocem non adjecto **θεῶν** hic intolerabilem esse sermonis conformatio mihi persuasit. Demosthenis interrogatio, quum Niciae superstitionem admirans ex eo quaerit: **ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς** (vel: **ἡγεῖ σὺ γὰρ ἐτεὸν θεούς**); ne omni gravitate exuta sit, exposcit, ut prior illa interrogatio ipsa vocem **θεός** exhibeat. Accedit quod Aristophanes, quum inter reliqua illius aetatis vitia saepissime etiam hoc castiget,

---

Quis indicetur pronomine *ὁδί* scholiasta docet vel docere conatus est: *ὁδὶ δὲ δείσας: Ὁ τοῦ Διονύσου ἱερεύς. πυρρὸς γὰρ ἦν κατὰ φύσιν. παρ' ὑπόνοιαν δὲ τὸ ἐπυρρίασε* (sic) *πρὸς τὸ ὠχρίασε* (scribe *ὠχρίασα*). Hanc interpretationem etiam hujus aetatis interpretes accipere non dubitarunt (cf. Thierschium, Fritzschium, Kockium). Ego quominus homini vetusto applaudam, gravissima causa prohibeor hac, quod versus insequens: *οἴμοι, πόθεν μοι τὰ κακὰ ταυτὶ προσέπεσεν;* sententiam ejus minime fulcire videtur. Quo accedit quod alia interpretatio, quae sententiam sordidam quidem sed poëtae comico multo magis, si quid sentio, convenientem praebet, in promptu est. Verba illa intellegenda sunt comparato ejusdem fabulae v. 479: *ἐγκέχοδα· κάλει θεόν.* Eq. 900: *οὐ γὰρ τόθ' ὑμεῖς βδεόμενοι δήπου 'γένεσθε πυρροί;* Eccl. 329: *τί τοῦτό σοι τὸ πυρρόν ἐστιν; οὔ τί που Κινησίας σου κατατετίληκεν;* 1061: *πυρρὸν ὄψει μ' αὐτίκα κτλ.* Hoc novum malum respiciens Dionysus: *οἴμοι, πόθεν μοι τὰ κακὰ ταυτὶ προσέπεσεν; τίν' αἰτιάσομαι θεῶν μ' ἀπολλύναι;* Lepide autem Xanthias ei respondens Euripidis versum, ut in re sordidissima adhibitum, irrisioni vertit: *αἰθέρα Διὸς δωμάτιον ἢ χρόνου πόδα.* — Ceterum moneo, de corporis parte illud *ὁδί* jam scholium Veneto adscriptum intellexisse; non poterat tamen ea, quam homo vetustus voluit, indicari. Idem vitium Scholiasta codicis R commisit Eccl. 890, quo loco verba: *τούτῳ διαλέγου,* quamvis facilia sint intellectu, praesertim si comparemus ejusdem fabulae v. 255, mirum quantum virorum doctorum partim emendandi partim interpretandi studium concitarunt (cf. Meinekium, Vind. p. 204; Hansingium Philol. VII, p. 197). Verum vidit Kockius Fleck. Annal. Suppl. III, p. 283.

[1]) cf. etiam Iahn. Annal. IV, p. 48.

[2]) refellit eum R. Engerus Iahn. Annal. LXIX, p. 357.

quod Atheniensium permulti, non esse deos, sibi persuaserint, in deliciis habet eam, quam nostro quoque loco restituerim, locutionem: cf. Nub. 1232 sq.: *καὶ ταῦτ' ἐθελήσεις ἀπομόσαι μοι τοὺς θεούς; — ποίους θεούς;* Av. 1230 sqq.: *πρὸς ἀνθρώπους πέτομαι παρὰ τοῦ πατρὸς φράσουσα θύειν τοῖς Ὀλυμπίοις θεοῖς μηλοσφαγεῖν τε βουθύτοις ἐπ' ἐσχάραις κνισᾶν τ' ἀγυιάς. — τί σὺ λέγεις; ποίοις θεοῖς;* Ran. 528 sq.: *ταῦτ' ἐγὼ μαρτύρομαι καὶ τοῖς θεοῖσιν ἐπιτρέπω. — ποίοις θεοῖς;* Propono igitur:

ποίων θεῶν; ἡγεῖ σὺ γὰρ ἐτεὸν θεούς;

Neque vero non manifestum est, quam facile fieri potuerit, ut librarius non satis diligens, cui versus antecedentis verba: *θεῶν του . . . πρὸς βρέτας* obversarentur, pro *θεῶν* vocem *βρέτας* exararet.

Eq. 87.

Demosthenes in numero eorum est, qui vini insignem esse vim ad ingenii vires augendas et concitandas sibi persuaserint. Itaque quum salutem et sibi et Niciae moliatur, conservum merum afferre jubet, quo consilium utile sibi suppeditetur. Responsum Niciae codex praestantissimus R et qui ei maxime affinis est M^1 sic tradiderunt:

ἰδού γ' ἄκρατον· περὶ πότου οὖν ἐστί σοι.

Quae corrupta esse, hiatus documento est. Reliquorum codicum plurimi (*$PV^2M^2\Delta^2$*) praebent *γὰρ*, duo *$V^1\Gamma$* *γ' οὖν*. Horum auctoritati Bergkius, Meinekius, Ribbeckius ita obtemperaverunt, ut tamen pro *γ' οὖν* srcriberent *γοῦν* et interrogationis nota enuntiationem finirent. Postea vero (Vind. p. 51) Meinekius, num jure hoc factum esset, in dubium vocavit propter insolentiam particulae *γοῦν* in interrogatione adhibitae. Itaque audacius conjecit, sive *νυν* pro *γοῦν* sive *περὶ πότον νοῦς ἐστί σοι* scribendum esse. Velsenus *γοῦν* retinuit, puncto tamen versu distincto; Kockius pro *γοῦν* reposuit *γ' οὖν* et puncto exitum versus notavit, comparans Thesm. 845: *ἀξία γ' οὖν εἶ τόκου.* Eccl. 794: *χαρίεντά γ' οὖν πάθοιμ' ἄν.* Baeumleinus denique (*Unters. über d. Griech. Partikeln S. 188*) et ipse *γ' οὖν*, interrogationis tamen signo adhibito, scribendum statuit, vertens: *Um einen Trunk denn (also) ist es Dir zu thun?* Huic ego non dubitarem assentiri, nisi librorum mss. variae lectiones me commoverent, ut neque *γοῦν* neque *γ' οὖν* poëtam scripsisse existimem. Nam quum praestantissimi libri *RM* praebeant *οὖν*, alii *γὰρ*, alii *γ' οὖν* ego crediderim, legisse olim librarios in archetypo suo: *περὶ πότου γὰρ οὖν ἐστί σοι*, quod quum metro obstaret alius particulam *οὖν*, alius qui minus esset diligens, *γὰρ* omiserit; alius denique, quem secuti sunt auctores librorum *V^1* et *Γ*, in unum illa confuderit. Poterit autem utraque vocula servari, dummodo verba sic transponamus: *περὶ γὰρ οὖν πότου 'στί σοι.*

Eq. 176 sq.

Demosthenes isiciarium docet, quantum ad fastigium fortuna eum elatura sit. Quod non fictum a se esse, gravissime his verbis confirmat:

γίγνει γάρ, ὡς ὁ χρησμὸς οὑτοσὶ λέγει,
ἀνὴρ μέγιστος.

Haec enim vulgo legimus. At cod. R praebet: *γίγνει γὰρ ὄντως ὡς κτλ.*, alius multo quidem deterior (*Γ*) articulum *ὁ* a secunda demum manu adjectum habet. Illius igitur auctoritate nixus Kockius Mus. Rh. IX, p. 500 sq. conjecit: *γίγνει γὰρ ὄντως ὡς ὁ χρησμός σοι λέγει.* At jure suo Bambergius virum praeter alios de Aristophane bene meritum improbavit, quod *οὑτοσί* ab eo ejectum multo etiam gravior est confirmatio, quam quod ille restituendum censuit, *ὄντως*. Neque tamen Ravennatis auctoritatem prorsus hic contemnendam censeo. Quid enim aptius est hujus loci naturae, quam quod R praebet *ὄντως*, cum gravitate quadam et vi adhibitum etiam Nub. 86. 1271, Ran. 189, Plut. 82. 286. 289. 327. 403. 581. 836. 960. Animadvertendum est isiciarium v. 160 sq. professum esse, se vereri, ne ludibrio esset Demostheni: *τί μ', ὠγάϑ', οὐ πλύνειν ἐᾷς τὰς κοιλίας πωλεῖν τε τοὺς ἀλλᾶντας, ἀλλὰ καταγελᾷς;* eodem autem spectat pronomen *ἐγώ* in interrogatione positum v. 168. Itaque quam maxime notio illa affirmandi placet. Possumus autem et hanc et pronomen demonstrativum retinere, si scribamus:

γίγνει γὰρ ὄντως, χρησμὸς οὑτοσὶ λέγει, κτλ.

Parenthesim reposui, qualis exstat, ne longius exempla repetam, ejusdem fabulae v. 330 sq.: *ὅς σε παύσει καὶ πάρεισι, δῆλός ἐστιν αὐτόϑεν, πανουργίᾳ τε καὶ ϑράσει.*

Articulum autem quod ante *χρησμὸς οὑτοσί* omisimus, eodem jure factum est, quo Eq. 872: *ζεῦγος πριάμενος ἐμβάδοιν τουτὶ φορεῖν δίδωμι;* Eq. 1177: *τουτὶ τέμαχος σοὔδωκεν ἡ Φοβεσιστράτη,* ib. 1181: *ἡ Γοργολόφα σ' ἐκέλευσε τουτουὶ φαγεῖν ἐλατῆρος,* Vesp. 1132: *τηνδὶ δὲ χλαῖναν ἀναβαλοῦ τριβωνικῶς,* Ach. 130: *ἐμοὶ σὺ ταυτασὶ λαβὼν ὀκτὼ δραχμὰς σπονδὰς ποίησον,* ib. v. 1049: *ἔπεμψέ τίς σοι νυμφίος ταυτὶ κρέα,* ib. 960 sq.: *ἐκέλευσε Λάμαχός σε ταυτησὶ δραχμῆς ἐς τοὺς Χόας αὐτῷ μεταδοῦναι τῶν κιχλῶν.* Nimirum tam his locis quam illo Equitum, quum res praesentes significentur et tanquam digito ita monstrentur, ut pronomen quodammodo adverbii vim et significationem induat, articulo non opus est.[1])

Eq. 319.

Agoracritus Cleoni adversario exprobravit, quod lucri causa coria boum morbo corruptorum rusticis vendidisset ita, ut vitium mercis callide obtegeret. Id Demosthenes his verbis testatur:

νὴ Δία κἀμὲ τοῦτ' ἔδρασε ταὐτόν, ὥστε κατάγελων[2])
πάμπολυν τοῖς δημόταισι καὶ φίλοις παρασχεϑεῖν.

Sic in cod. R priorem versum legimus; in ceteris pro *νὴ Δία κἀμὲ* est *καὶ νὴ Δία κἀμέ.* Haec corrupta esse manifestum est; sed ne illa quidem propter dactylum, intolerabilem in versu trochaico, possunt retineri. Medicina varia loco vitioso ab hominibus criticis adlata est. Horum e numero magis audacter quam probabiliter Dindorfius, grammaticorum quorundam doctrina fretus, pro *νὴ Δία* scripsit: *νὴ Δί.* Cui jure adversati

[1]) cf. Krueger, Gramm. Gr. §. 50, 11, 22; Mueller. Acharnens. v. 960; Frohberg. Lysias XIII, 16.
[2]) *κατάγελων* retinuerunt Bergkius et Ribbeckius, contra Elmsleium secuti *καὶ γέλων* scripserunt Kockius, Meinekius, Velsenus.

sunt Meinekius Vindic. p. 55 et Engerus Iahn. Annal. LXIX, p. 363. Meinekius l. l. vel *νῆχι κἀμὲ τοῦτ' ἔδρασε*, vel *νὴ Δί' αὐτὸ τοῦτο κἄμ' ἔδρασεν κτλ.* restituere voluit. Sed illud a sermone poëtae comici alienum est, hoc a scriptura tradita nimis recedit. Neque Porsoni conjectura: *κἀμὲ τοῦτ' ἔδρασε ταὐτό, νὴ Δί', ὥστε κτλ.*, quamvis laudata a Kockio, Ribbeckio, Velseno,[1]) aut Elmslei: *κἀμέ, νὴ Δί', αὐτὸ τοῦτ' ἔδρασεν κτλ.* ejusmodi est, ut hinc quomodo orta sit varietas lectionum supra indicata appareat. Mihi quidem verisimillimum videtur poëtam scripsisse:

ναὶ μὰ Δί' ἐμὲ τοῦτ' ἔδρασε ταὐτὸν κτλ.

Haec enim facile poterant a librario vel dormiente vel prorsus imperito sermonis Graeci depravari in: *καὶ μὰ Δί' ἐμέ.* Postea vero *μὰ Δία*, quod quum *ναὶ* in *καὶ* abisset, nullo pacto ferri posset, in *νὴ* mutatum, denique, ut rationi metricae specie quidem, non re subveniretur, *καὶ* transpositum sit. Hinc lectio codicis R orta est; ceteri autem voculam neglegentia hic ortam neglegentius etiam utroque loco retinuerunt.

Eq. 820 sq.

Cleon, quum non habeat, quid adversario, insolentia impudentissimo illi homini multo etiam superiori, respondeat, indignabundus:

οὔκουν ταυτὶ δεινὸν ἀκούειν, ὦ Δῆμ', ἐστίν μ' ὑπὸ τούτου, ὁτιή σε φιλῶ;

Quae excipiunt isiciarii haec verba: *παῦ' οὗτος καὶ μὴ σκέρβολλε πονηρά.* Horum versuum alterum quum una syllaba deficiat, homines critici alius alio modo explere lacunam conati sunt. Elmslejus, Photii praecepto quodam aliunde non confirmato nixus, ausus est: *ὁτιή σε φιλῶ; — παῦ παῦ' οὗτος κτλ.* Cujus ad sententiam etiam Meinekius, Bergkius, Dindorfius (Poet. Scen. 1867) accesserunt. Brunckius conjecit: *παῦσαί γ' οὗτος*, Bentlejus qui laudatorem habet Ribbeckium, *παῦ' ὦ οὗτος*, Velsenus *νῦν παῦ' οὗτος*, Kockius *ὦ παῦ' οὗτος.* Kockio non dubitarem ego applaudere, si revera emendatio ejus simplicitatis laude adeo commendaretur, quam obiter rem inspicienti videtur. At verbum *φιλῶ* et vocula *ὦ* personae nota sejungenda erant; quare non poterat illa tam facile intercidere, quam viro doctissimo visum est. Ego persuasum habeo poëtam scripsisse:

ὁτιή σε φιλῶ 'γώ; — παῦ' οὗτος καὶ μὴ σκέρβολλε πονηρά.

Ad *φιλῶ 'γώ* cf. v. 182 *ἀξιῶ 'γώ*, v. 779: *θρέψω 'γώ*, 829: *αἱρήσω 'γώ*, Nub. 672: *καλῶ 'γώ*, v. 901: *ἀνατρέψω 'γώ*, Vesp. 635: *δουλεύω 'γώ* cett.[2])

Eq. 503.

Iure suo Hermannus monuit, commatium, quod praemitti solet parabasi, absolutum esse v. 502; qua de causa non ferri posse insequentia:

ὑμεῖς δ' ἡμῖν πρόσχετε τὸν νοῦν
τοῖς ἀναπαίστοις,
ὦ παντοίας ἤδη μούσης
πειραθέντες καθ' ἑαυτούς.

---

[1]) pro *ταὐτὸ* Engero obsecuti posuerunt *ταὐτόν.*

[2]) Procul dubio recte Cobetus Mnemos. II, p. 98 etiam Pac. 138 pro *καταφάγω τὰ σιτία*, ut articulum molestissimum tolleret, scripsit: *καταφάγω 'γὼ σιτία.*

Pro versibus dimetris tetrametros exspectamus. Iam vero quum codices *ΑΘΔΓ* praebeant: *καὶ τοῖς ἀναπαίστοις*, Hermannus una voce addita scripsit:

ὑμεῖς δ' ἡμῖν πρόσχετε τὸν νοῦν καὶ τοῖς ἡμῶν ἀναπαίστοις,
ὦ παντοίας ἤδη μούσης πειραθέντες καθ' ἑαυτούς.

Item Meinekius scripturae illi quatuor librorum, qui permultis locis eandem cuncti corruptelam exhibent, nimis auctoritatis tribuit, conjiciens:

ὑμεῖς δ' ἡμῖν πρόσχετε τὸν νοῦν χαίροντες τοῖς ἀναπαίστοις κτλ.

Vocula *καὶ* procul dubio est addita a quolibet grammatico, quem duo dativi, *ἡμῖν* et *τοῖς ἀναπαίστοις*, particula non juncti offenderent.[1]) Neque igitur debebant homines critici emendationes suas illa fulcire. Aliam viam ingressus est Hirschigius, qui locum corruptum ita refinxit:

ὑμεῖς δὲ τέως πρόσχετε τὸν νοῦν τοῖς ἡμετέροις ἀναπαίστοις.

At et violentior est haec conjectura, et propter vocem *τέως* incommode hic insertam displicet. Equidem non dubitarem Meinekii sententiam, non codicum quidem fide sed sua vi commendatam, libentissime collaudare, nisi reputanti mihi, quod praeter alios Kockius monuit in Mus. Rh. IX, p. 521, vitia potissimum irrepsisse in exitum versuum, ubi in margine paginarum vel crebriore usu vel humore aliquo vel alio damno litterae attritae essent vel etiam omnino obscuratae, alius conjecturae in mentem venisset. Una scilicet voce in exitu versus adjecta scribo:

ὑμεῖς δ' ἡμῖν πρόσχετε τὸν νοῦν τοῖς ἀναπαίστοις ἐπιοῦσιν.

Cf. Ach. 627: *ἀλλ' ἀποδύντες τοῖς ἀναπαίστοις ἐπίωμεν.* — De altero versuum illorum quid statuendum sit, quantopere viri docti inter se dissentiant, satis notum est; neque est quod sententias eorum repetam; quid novi de eo afferam non habeo.

Eq. 667 sqq.

Isiciarius e curia reversus de calliditate sua et dolo quam maxime se jactat. Choro enim refert, adeo se apud senatum Cleoni praecurrisse, ut denique senatus removeri illum e curia jussisset. Deinde sic pergit:

ὁ δ' ἠντιβόλει γ' αὐτοὺς ὀλίγον μεῖναι χρόνον,
ἵν' ἅτθ' ὁ κῆρυξ οὐκ Λακεδαίμονος λέγει
πύθησθ'· ἀφῖκται γὰρ περὶ σπονδῶν λέγων.

In his quid sibi velit vox ultima *λέγων*, — *ΑΘΔΓ* aperte corruptum exhibent *λόγων* — non perspicuum est. Nam ne jungamus: *περὶ σπονδῶν λέγων*, ut recte monuit Kockius, constans sermonis Graeci usus prohibet. Iam vero quum praeter libros $R\Theta^2\Gamma^1$ codices omnes in exitu versus proxime antecedentis non *λέγει* sed *λέγει πάλιν* praebeant, Porsonus, quem etiam Velsenus secutus est, quod illo loco ferri nequit *πάλιν*, in exitum v. 669 transposuit ejecto participio *λέγων*. Multo facilius post Godofredum Hermannum plerique editores difficultatem sibi visi sunt removisse, participio illo arctissime cum verbo finito *ἠντιβόλει* conjuncto. Vellem tamen uno exemplo ostendissent, vocabulum

[1]) cf. Engerum Iahn. Annal. LXIX, p. 366.

per se prorsus supervacaneum sic posse collocari. Interim persuasum habeo, offensionem non remotam esse neque posse removeri interpretatione. Procul dubio emendatione opus est. Subventum autem erit loco suspecto, si pro *ἀφῖκται γὰρ περὶ σπονδῶν λέγων* scripserimus: *ἀφῖχθαι γὰρ περὶ σπονδῶν λέγει.* Quo facto haec erit sententia: Cleon autem senatores obsecravit, ut paullisper morarentur. Praeconem enim Lacedaemonium audiendum esse, quippe qui indutiarum causa se venisse confirmaret. — Quod si cui dubitatio moveatur pari exitu versuum 668. 669, conferre licet, ut uno exemplo hunc scrupulum tollam, Pac. 896 sq.:

ἐπὶ γῆς παλαίειν, τετραποδηδὸν ἑστάναι,
πλαγίαν καταβάλλειν, ἐς γόνατα κύβδ᾽ ἑστάναι,

ubi non magis quam nostro loco sive gratae cuidam neglegentiae sive aurium Graecarum dissimili nostris naturae, non arti consilioque par exitus tribuendus est. Quod vero Equitum versui 668 nonnulli libri adjectam exhibent praeter trimetri spatium voculam *πάλιν* a Porsono et Velseno versui 669 attributam, emendationi a nobis propositae commode videtur opitulari. Nimirum homo vetustus, quum videret scripturam in exitu versus 669 inter *λέγων* et *λέγει* fluctuantem, respiciens versus antecedentis ultimam vocem, suo libro participium exhibenti adscripserit: *ἄλλοι· λέγει πάλιν* i. e. alii iterum *λέγει* praebent. Haec autem, quum vel inter lineas vel in margine adjecta essent, postea alius scriba sic acceperit, ut putaret v. 668 pro *λέγει* scribendum esse: *λέγει πάλιν.*

Eq. 706 sqq.

Isiciarius, quum magis magisque iram Cleonis videat crescentem, ut jam non verbis sed verberibus in adversarium ille videatur invecturus, hominem tanquam rabidum his, quae vulgo leguntur, verbis compellat:

ὡς ὀξύθυμος. φέρε τί σοι δῶ καταφαγεῖν;
ἐπὶ τῷ φάγοις ἥδιστ᾽ ἄν; ἐπὶ βαλλαντίῳ;

Prorsus alienum esse sermone Graeco: *ἐσθίειν ἥδιστα ἐπί τινι* recte monuit Kockius Mus. Rh. IX, p. 532; ipse conjecit: *ἐπὶ τῷ φαγὼν ἥδοιτ᾽ ἄν;* Engerus: *ἐπὶ τῷ φαγὼν ἥδοι᾽ ἄν;* Bergkius: *ἐπὶ τῷ φάγοις γήθει᾽ ἄν;* Meinekius Vindic. p. 61: *ἐπὶ τῷ φάγοις ἡσθεὶς ἄν;* Equidem dubito an alia sit corruptela atque viri docti censuerunt, quorum adhuc nemo ipsum verbum *φαγεῖν* in suspicionem vocavit. Quid vero? Si statuamus, quo verba: *τί σοι δῶ καταφαγεῖν;* procul dubio spectant, Cleonem ab isiciario cum cane mordaci comparari, quem offa objecta placare solemus, nonne verisimillimum est, poëtam hanc fere sententiam expressisse: Quid tibi dem, ne mordeas? Itaque locum depravatum sic emendandum esse censeo, ut restituamus: *ὡς ὀξύθυμος. φέρε τί σοι δῶ καταφαγεῖν; ἐπὶ τῷ δάκοις ἥκιστ᾽ ἄν; ἐπὶ βαλλαντίῳ;* i. e. Quam iracundus es! Age quid tibi dem comedendum? Quonam accepto minime mordebis? Marsupione? — Facile poterat accidere ut librarius vetustus, quum antecedentis versus exitum: *καταφαγεῖν* meminisset, *δάκοις* in *φάγοις* depravaret. Quo facto quum sententia vocem *ἥκιστα* repudiaret, *ἥκιστα* in *ἥδιστα* mutatum sit.

Eq. 973 sqq.

Chorus, quum Cleonem ab isiciario victum iri pro certo sibi persuaserit, id quanto gaudio plerisque futurum sit, praedicat. Verba ejus in libris mss. haec sunt:

ἥδιστον φάος ἡμέρας
ἔσται τοῖσι παροῦσι καὶ
τοῖσιν ἀφικνουμένοισιν
ἢν Κλέων ἀπόληται.

Horum versuum tertium corruptum esse et per se metrum et antistrophes versus ei respondens: αὐτοῦ· φασὶ γὰρ αὐτὸν οἱ docent. Accedit quod ne sententiam quidem probabilem vulgata praebet. Namque quum vocibus τοῖσι παροῦσι manifestum sit spectatores, qui ludo intersunt, significari, fieri non potest, quin οἱ ἀφικνούμενοι nominentur ii qui spectatum adventant. Quo quid magis absonum est? Scholiasta sane aliam sententiam invenisse sibi videtur, quum annotet: τοῖσιν ἀφικνουμένοις: ἢ τοῖς μετὰ ταῦτα ἐσομένοις ἢ καὶ τοῖς ἐπιδημοῦσι τῶν ξένων, ἵν᾽ ἀποδεικνύῃ τὸν Κλέωνα κἂν τούτῳ πονηρόν, ὅτι μηδὲ τούτων φείδεται κτλ.

At nusquam οἱ ἀφικνούμενοι neque de posteris neque de peregrinis sic usurpatum est. Minime autem nostro loco de tali sententia licet cogitare, quum ἀφικνεῖσθαι verbo παρεῖναι i. e. spectaculo interesse oppositum sit. Haec quum ita sint, metro, non sententiae subvenisse censeo Bentlei conjecturam: τοῖσι δεῦρ᾽ ἀφικνουμένοις. Ne Cobeti quidem emendatio a Meinekio et Ribbeckio recepta: τοῖσιν εἰςαφικνουμένοις gravissima offensione caret.[1]) Nam quamquam verum est, εἰςαφικνεῖσθαι saepius de peregrinis adventantibus usurpari, ut locis a Kockio allatis: Xenoph. *Πορ.* III, 12: καλὸν οἰκοδομεῖν τοῖς εἰςαφικνουμένοις δημόσια καταγώγια et V, 1: (ἡ τῶν εἰρηνοφυλάκων ἀρχὴ) πολὺ ἂν προςφιλεστέραν καὶ πυκνοτέραν εἰςαφικνεῖσθαι ποιήσειε τὴν πόλιν; hic tamen, quum verbo παρεῖναι sit adjunctum, vereor ne de eis intellegendum sit, qui spectaculum adeunt. Multo illis audacius egit Bergkius, quum loco sic subvenire studeat, ut scribat: τοῖς ἀποῦσιν, ἱκνουμένως κτλ. At parum credibile est Aristophanem hac voce, quae apud Atticos, quantum memini, nusquam legitur, usum esse; neque non violentior est haec emendatio, quam cui applaudamus. Ego non dubito, quin verum viderint ii homines critici, qui naturam hujus loci tempus futurum postulare existimarunt. Id quod fecerunt Hotibius l. l. p. 161 et Velsenus in editione fabulae. Equites Lenaeis actos esse constat; his peregrini non solebant interesse, Dionysiis magnis solebant.[2]) Quare poëta Ach. 503 sqq., ubi Achernensium fabula Babyloniis, Dionysiis magnis actis, opponitur, postquam libenter professus est, gravia quidem sed justa se Atheniensibus exprobrare, sic pergit:

οὐ γάρ με νῦν γε διαβαλεῖ Κλέων, ὅτι
ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω·
αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὑπὶ Ληναίῳ τ᾽ ἀγὼν
κοὔπω ξένοι πάρεισιν· οὔτε γὰρ φόροι
ἥκουσιν οὔτ᾽ ἐκ τῶν πόλεων οἱ ξύμμαχοι.

---

[1]) Mirum me habet quod Ribbeckius, quum Cobetum secutus sit, tamen vertit: *für später Geschlechter Zahl.*

[2]) cf. C. F. Hermannum Mus. Rh. II, p. 60; Boeckhium: de Lenaeis (Comment. Acad. Berol. 1819) p. 87 sqq.

et ibid. vv. 643 sqq.: *τοιγάρτοι νῦν ἐκ τῶν πόλεων τὸν φόρον ὑμῖν ἀπάγοντες ἥξουσιν, ἰδεῖν ἐπιθυμοῦντες τὸν ποιητὴν τὸν ἄριστον κτλ.*

Optime igitur poterat poëta Atheniensibus, qui Lenaeis intererant, opponere socios, qui Dionysiis magnis essent interfuturi. Neque tamen cum Hotibio scripserim: *τοῖς ἀφιξομένοισιν ἄν*, neque cum Velseno: *τοῖς ἀφιξομένοις, κακῶς κτλ.*, sed quod et sententiae insignem in modum convenit et facillime poterat in vitium abire: *τοῖς ἀφιξομένοις ξένοις*. Appellantur *ξένοι* a poëta *ξύμμαχοι* etiam Ach. 634, Lys. 580, Ran. 458, Eq. 1198, Av. 1431. 1454. 1458. Haec autem vox interciderit, quum verbum proxime antecedens et ipsum in *-ένοις* exiret. Cujus generis exempla, quum permulta exstent, longum est hic congerere. Quod si cui parum arrideat conjectura a me proposita propter aurium offensionem, moneo Graecorum in hac re non eundem atque nostrum sensum fuisse. Testimonio sunt sexcenti loci simillimi, qui non solum apud alios scriptores Graecos sed etiam apud oratores exstant, quorum summa esset diligentia in sermone auribus quoque audientium quam maxime accommodando. Cf. Frohberg. ad Lysiam X, 12 et exempla ibi collata ut Demosth. XXVI, 4: *ὑπελάμβανεν αὐτοῖς οὐκ ἐνεῖναι περιμεῖναι*; Andoc. I, 23: *ἡγήσαντο δεῖν τολμῆσαι κατηγορῆσαι* cet. — Ceterum quum scholiasta metricus de carmine chorico, cujus versus illi sunt particula, haec praebeat: *ἑξὰς μονοστροφικὴ τετράκωλος οὖσα τὰς περιόδους ἐκ τριῶν γλυκωνείων (ποτὲ μὲν ἐξ ἐπιτρίτου, ποτὲ δὲ διτροχαίου, ἐν δὲ τῷ γ' καὶ διιάμβου) καὶ τοῦ φερεκρατείου*, neque possint ea, quae de tertio versu monita sunt, aliam quam primam stropham spectare, dubito an homo vetustus legerit: *τοῖς ἀφικνουμένοις ξένοις*. Haec enim, non quae voluit Ribbeckius: *πᾶσι δὲ τοῖς ἀφικνουμένοις* metro indicato consentanea sunt.

Eq. 1010. 1029.

Cleon et isiciarius, quorum uterque ad Demi favorem nititur, oracula sua exprompserunt, quibus senem propitium sibi redderent. Interrogatus Cleon, quibusnam de rebus sua essent, respondet:

περὶ Ἀθηνῶν, περὶ Πύλου,
περὶ σοῦ, περὶ ἐμοῦ, περὶ ἁπάντων πραγμάτων.

Agoracritus autem, et ipse jussus de suis referre:

περὶ Ἀθηνῶν, περὶ φακῆς,
περὶ Λακεδαιμονίων, περὶ σκόμβρων νέων,
περὶ τῶν μετρούντων τἄλφιτ' ἐν ἀγορᾷ κακῶς,
περὶ σοῦ, περὶ ἐμοῦ. τὸ πέος οὑτοσὶ δάκοι.

Sic enim versum ultimum (1010) cum libro praestantissimo *R* etiam *MAΔ* exhibent, quodcontra *VP*: *περὶ σοῦ, περὶ ἐμοῦ, περὶ ἁπάντων πραγμάτων* praebent, ita tamen, ut post haec verba novo versu addant: *τὸ πέος οὑτοσὶ δάκοι*. Supra verba: *τὸ πέος οὑτοσὶ δάκοι* in cod. *Γ* a secunda scripta legimus: *περὶ ἁπάντων πραγμάτων*; ad verba: *τὸ πέος οὑτοσὶ δάκοι* in margine a sec. adjecta sunt: *γρ. περὶ ἁπάντων πραγμάτων* in *Θ*. Iam vero quum viginti versibus post, ubi oraculum quoddam de cane Cleon protulit et in suum commodum convertere conatus est, Agoracritus autem longe alio illud spectare

et alterum sibi de cane suppetere contendit, pro eo, quod vulgata exhibet, Demi responso: λέγεχον. ἐγὼ δὲ πρῶτα λήψομαι λίθον,

ἵνα μή μ' ὁ χρησμὸς ὁ περὶ τοῦ κυνὸς δάκῃ,

Venetus in margine pictum a prima, sed rasura deletum praebeat: γρ. τὸ πέος οὑτοσὶ δάκοι: primus Godofredus Hermannus v. 1010 codicum praestantissimorum lectione: τὸ πέος οὑτοσὶ δάκοι improbata recepit: περὶ ἁπάντων πραγμάτων, post v. 1029 novum versum injecit allantopolae datum:

ἄκουε δή νυν· τὸ πέος οὑτοσὶ δάκοι.

Minus audacter Bergkius, Meinekius, Velsenus versum 1010 cum Hermanno, versum 1029 sic constituerunt:

ἵνα μή μ' ὁ χρησμὸς τὸ πέος οὑτοσὶ δάκοι.

Kockius contra et Ribbeckius utroque loco vulgatam retinuerunt. — Quaeritur primum num sententiarum ratio ea sit, quae optimorum librorum mss. auctoritatem deterioribus posthabere nos cogat. In sententiam igitur inquirentibus manifestum est, loco altero verba: ἵνα μή μ' ὁ χρησμὸς ὁ περὶ τοῦ κυνὸς δάκῃ, quae recte explicavit scholiasta: ὁ χρησμὸς ὁ περὶ τοῦ κυνὸς ἀντὶ τοῦ ὁ ἐν τῷ χρησμῷ κύων per se omni offensione carere; quamquam non nego et potuisse verba: ὁ περὶ τοῦ κυνὸς nullo cum detrimento sententiae omitti et alteram illam locutionem: τὸ πέος οὑτοσὶ δάκῃ ut humiliorem et facetiorem primo quidem obtutu magis nobis arridere.

Diligentius tamen reputanti, qualem poëta Demum finxerit, hujus naturae ejusmodi verba non censeo convenire, isiciario quam maxime convenissent. Sed ut sint illa alteri loco magis consentanea quam lectio vugata, videndum est, num prioris loci natura emendationem virorum doctorum supra indicatam ferat. Cleonis igitur et Agoracriti oracula si comparemus, luce est clarius, lepide hoc et ridicule illi ita respondere, ut homo callidissimus partem quidem sui oraculi ex Cleonis oraculo ad verbum promat, partem de suo ingenio addat. Prudenter autem eas res adjecit, quas maxime cordi esse Atheniensibus haud ignorabat: περὶ φακῆς, περὶ σκόμβρων νέων, περὶ τῶν μετρούντων τἄλφιτ' ἐν ἀγορᾷ κακῶς. Idem, ut risum moveat, jocose magnis parva immiscet. Magna enim indicat: περὶ Ἀθηνῶν, parva: περὶ φακῆς, magna περὶ Λακεδαιμονίων, parva περὶ σκ. ν. et περὶ τ. μ. — κακῶς, magna denique: περὶ σοῦ, περὶ ἐμοῦ, parva immo humilia: τὸ πέος οὑτοσὶ δάκοι. Hanc aequabilitatem prorsus turbat altera illa scriptura: περὶ ἁπάντων πραγμάτων. Accedit quod optime haec verba Cleonis naturae conveniebant, quippe quae jactantiam ejus et insulsa mendacia notent; Agoracrito eadem a poëta tributa esse, facere non possum, ut mihi persuadeam. Optime potius homo de plebe sibi consuluisse videtur, si statuamus, eum non verbis inanibus sed formula quadam, quae usitatissima erat inter Athenienses (τὸν θυμὸν δακεῖν), risus causa in sordidum mutata, oraculi sui finem constituisse. Sic enim praeter exspectationem et ridiculum in modum isiciarii oraculum in devotionem Cleonis exit. Sed multo etiam major erit hujus devotionis gravitas et vis, si conjiciamus, quod equidem facere non dubito, poëtam scripsisse:

περὶ σοῦ, περὶ ἐμοῦ, περὶ – τὸ πέος οὗτος δάκοι.

Haec si restituerimus, quum non solum prior pars versus Cleonis verba (cf. v. 1006) referret, sed etiam altera a praepositione *περὶ* inciperet, fieri non poterat quin spectatores parem quoque exitum exspectarent et decepta exspectatione valde delectarentur. Praeterea illa emendatione recepta Cleonis devotio tanquam ipsius oraculi particula lepidissime fingitur. Quod si quis talia sermone Graeco aliena esse censeat, simillimum huic affero exemplum Ach. 196 sq.: *αὗται μὲν ὄζουσ' ἀμβροσίας καὶ νέκταρος*
καὶ μὴ 'πιτηρεῖν σιτί' ἡμερῶν τριῶν.

Finem huic disputationi imponamus: Vidimus priore loco (v. 1010) vulgatam multo melius se habere, quam quae ex libris quibusdam deterioribus Hermannus aliique viri docti eruere conati sunt; hinc sequitur, ut etiam de altero codici Veneto fides nulla habenda sit. Restat ut videamus, unde variae librorum mss. lectiones ortae sint. Persuasum igitur habeo, librarium illum, qui Venetum exaravit, quum in exemplo suo fabulae v. 1010 *περὶ ἁπάντων πραγμάτων* praebente margini adscriptum legisset, ut variam lectionem: *τὸ πέος οὑτοσὶ δάκοι*, in errorem adductum exitu v. 1029 simili (*ὁ περὶ τοῦ κυνὸς δάκῃ*), oculis aberrantibus verba illa non versui 1010 sed v. 1029 adjecisse. Postea errorem animadvertit et delevit. Prioris autem loci variae lectiones unde ortae sint luce est clarius. Nam quum initium versus 1010 idem esset atque v. 1006, quid facilius poterat accidere scribae neglegenti, quam ut totum versum iterum exararet?

Eq. 1045 sqq.

Praeter alia Cleon etiam oraculum quoddam de leone protulit multis pro Demo cum culicibus pugnaturo. Leonem autem quum ipsum significari contendat, exitum oraculi callide sic conformavit: *τὸν σὺ φύλασσε*
τεῖχος ποιήσας ξύλινον πύργους τε σιδηροῦς.

Haec igitur respiciens isiciarius vv. 1045 sqq.:
ἓν οὐκ ἀναδιδάσκει σε τῶν λογίων ἑκών,
ὃ μόνον σιδηροῦν ἐστι τεῖχος καὶ ξύλων.

Pro *ἐστι τεῖχος* inverso ordine verborum *VΡΓΘΔ* praebent: *τεῖχός ἐστι*, pro *ξύλων* est in *V¹Γ²* *ξύλον*, in *M²V²Γ²* *ξύλινον*. Maxime libris mss. eam, quam supra recepimus, scripturam confirmatam esse apparet; cujus haec est sententia: Unum, quod est in oraculis, non sua sponte te docet, quod solum significat murus ferreus et ligno confectus. Hac sententia nullam invenio, quae magis placeat. Haereo tamen in elocutione minus, opinor, concinna; quare non dubito, quin poëta multo elegantius scripserit: *ὃ μόνον σιδήρεόν γ' ἐστὶ τεῖχος καὶ ξύλων* (cf. v. 1310: *εἴπερ ἐκ πεύκης γε κἀγὼ καὶ ξύλων ἐπηγνύμην*). Hinc quomodo ceterae scripturae ortae sint non opus est explicare. Admirationi autem mihi quidem est, quod viri docti, quum facillima medela in promptu esset, ut labem eluerent, ausi sunt extrema. Cobetus enim, a Meinekio et Ribbeckio laudatus, audacissime conjecit: *ἓν δ' οὐκ*[1]) *ἀναδιδάσκει σε τῶν λογίων μόνον,*
ὅτι τὸ σιδηροῦν ἐστι τεῖχος καὶ ξύλον.

[1]) jure suo vir sagacissimus *δ'* addidit.

Dindorfius aut: *ἑκὼν μόνον δ' σιδ. κτλ.* aut: *μόνον ἑκὼν δ' σιδ. κτλ.* scribendum esse censuit; Velsenus poëtae haec restituere conatus est:

ἓν οὐκ ἀναδιδάσκει σε τῶν λογίων ἑκών,
ὅτι τὸ σιδηροῦν τεῖχός ἐστι καὶ ξύλον.

Eq. 1162 sq.

Cleon et isiciarius, certantes inter se in amore suo erga Demum ostendendo, simul abierunt, dona, quibus favorem illius captarent, apportatum. Hoc igitur utriusque studium respiciens Demos: *ἀλλ' ἦ μεγάλως εὐδαιμονήσω τήμερον*
ὑπὸ τῶν ἐραστῶν, νὴ Δί', ἢ 'γὼ θρύψομαι.

Θρύπτεσθαι aut est emolliri, aut superbia extolli, aut fastidium prae se ferre. Quocunque modo hoc verbum acceperimus, sententiam probabilem locus vexatus non praebebit. Iure igitur Kockius Mus. Rh. IX, 537 sq. eos refellit, qui vulgatam defendere studuerunt; ipse vir doctissimus conjecturam sagacitatis et elegantiae laude insignem prompsit, quum pro: *ἢ 'γὼ θρύψομαι* proponit: *ἢ 'πιτρίψομαι.* Cui emendationi primo obtutu etiam favere videtur scholiastae interpretatio: *ἀντὶ τοῦ συντριβήσομαι.* At quum pergat ille: *ἢ σφόδρα τρυφήσω καὶ σεμνυνοῦμαι,* hoc quidem auxilium perit. Nihilo tamen secius libenter illi conjecturae, a Meinekio quoque acceptae, applauderem, si omnibus numeris sua vi mihi videretur fulciri. At ego non intellego, cur Demos, ne amatorum studio pereat vereatur. Recte enim Engerus Iahn. Annal. LXIX, p. 370 Kockii sententiam refutans monuit, Cleonem et isiciarium neque antea in Demum invectos esse neque postea invehi. — Alia conati sunt Bergkius et Velsenus; quorum ille audacius opinor quam probabilius conjecit: *ὑπὸ τ. ἐρ· ἢ διαρραγήσομαι,* hic, scholiastae addita interpretatione: *σεμνυνοῦμαι:*

ἀλλ' ἦ μεγάλως εὐδαιμονήσω τήμερον
ὑπὸ τῶν ἐραστῶν, νὴ Δί', ἐγὼ δὲ θρύψομαι.

Ego cum Velseno pro *ἀλλ' ἦ* existimo *ἀλλ' ἦ* restituendum esse, et alterum *ἢ* delendum; cetera autem sic emendo: *ἀλλ' ἦ μεγάλως εὐδαιμονήσω τήμερον·*
ὑπὸ τῶν ἐραστῶν, νὴ Δί', ἐγὼ τεθρύψομαι.

i. e. felicissimus profecto hodie existam; ab amatoribus (enim), per Iovem, ego splendido vitae apparatu (*τρυφῇ*) instructus ero. Asyndeton omni offensione vacare, quum versus alter alterum explicet, satis notum est. Affero tamen pauca quaedam exempla ex ipso Aristophane desumpta. Eq. 465 sqq.: *οὔκουν ἐν Ἄργει μ' οἷα πράττει λανθάνει· πρόφασιν μὲν Ἀργείους φίλους ἡμῖν ποιεῖ, ἰδίᾳ δ' ἐκεῖ Λακεδαιμονίοις συγγίγνεται.* — Eq. 1102 sqq.: *οὐκ ἀνέχομαι κριθῶν ἀκούων· πολλάκις ἐξηπατήθην ὑπό τε σοῦ καὶ Θουφάνους.* Vesp. 787 sqq.: *αἴσχιστα γάρ τοί μ' εἰργάσατο Λυσίστρατος ὁ σκωπτόλης· δραχμὴν μετ' ἐμοῦ πρῴην λαβὼν ἐλθὼν διεκερματίζετ' ἐν τοῖς ἰχθύσιν κτλ*

Quoties autem futurum primum pro futuro tertio in libros mss. irrepserit, permultis exemplis demonstrat Cobetus Mnemos. III, 292 sq. Quorum e numero unum affero Pac. 245, ubi vidit vir egregius, pro: *ἰὼ Μέγαρα Μέγαρ' ὡς ἐπιτρίψεσθ' αὐτίκα* scribendum esse: *ὦ Μέγαρα Μέγαρ' ὡς ἐπιτετρίψεσθ' αὐτίκα.* § Diversa tamen hoc Pacis loco et illo Equitum origo corruptelae fuit. Ibi enim postquam neglegentia syllaba *τε*

intercidit, librarius vel grammaticus parum peritus sermonis Graeci cetera mutavit, hic contra non dubito, quin primum pro *ἀλλ' ἤ* falso scriptum sit *ἀλλ' ἤ*; deinde *ἐγὼ* in *ἢ 'γὼ* corruptum, postremo, ut metro perverso subveniretur, futurum III in futurum I mutatum videtur.

Eq. 1346.

Isiciarius Demo temeritatem incredibilem exprobravit, quod se blanditiis verbisque subdolis hominum nequissimorum ille passus esset decipi. Responsum Demi in libris mss. hoc est: *τί φής; ταντί μ' ἔδρων, ἐγὼ δὲ τοῦτ' οὐκ ᾔδειν*; Locum aperte corruptum viri docti ut sanarent, multifariam laboraverunt. Quorum e numero Reiskius conjecit: *τί φής; τοιαῦτ' ἔδρων μ', ἐγὼ δ' οὐκ ᾐσθόμην;* Dindorfius, quem secuti sunt Bergkius, Meinekius Kockius in editionibus fabulae: *τί φής; ταντί μ' ἔδρων, ἐγὼ δὲ τοῦτ' οὐκ ᾐσθόμην*; Meinekius Vindic. p. 68: *ταντί μ' ἔδρων, ἐγὼ δέ γ' οὐκ ᾔδη; τί φής*; Kockius Mus. Rh. IX, p. 504 sq.: *τί φής; ταντί με δρώντων ταῦτ' ἄρ' οὐκ ᾔδειν ἐγώ*; Velsenus primum proposuit: *τί φής; ἔδρων τοιαῦτά μ', οὐκ ᾔδειν δ' ἐγώ*; postea vero de toto versu ejiciendo cogitavit, quippe qui nihil esset nisi paraphrasis versus 1349, sententiarum ordinem foede disturbans. At haec vereor, ne non recte vir doctus sibi persuaserit.

Commode enim et eleganter poëta rem sit instituit, ut Demos, quotiescunque novi aliquid ei exprobratur, vel admirationem vel indignationem prae se ferat. Nova autem illa sunt quae v. 1345 isiciarius in medium tulit. Nam postquam primo loco blanditiis eum nimis delectatum (v. 1340—1345), altero ab adulatoribus misere deceptum esse (v. 1345) exposuit, tertio denique aures Demum umbellae similes habuisse i. e., quemadmodum umbellae modo expanduntur, quum utimur eis, modo contrahuntur, quum non utimur, ita auribus modo usum modo non usum esse contendit. Aptissime igitur qui post primam exprobrationem cum admiratione interrogavit: *ἐγώ;* post tertiam: *οὕτως ἀνόητος ἐγεγενήμην καὶ γέρων*; simili modo etiam post alteram illam indignabundus isiciarium interrumpit. Quae quum ita sint, de additamento minime cogitandum est. — Corruptela unde orta esset, eos censeo intellexisse, qui pronomen demonstrativum altero loco removerunt. Minime enim verisimile est, tam languide illud nullaque necessitate repetitum esse. Contra non assentior eis, qui voces: *τί φής*; extra versum posuerunt. Eadem enim locutio quamquam saepius (cf. Nub. v. 235 et Bambergium de Rav. et Ven. cod. p. 24 sq., Hensium l. l. p. 89) sic usurpata est, hic tamen non nihili est momenti, quod scholium metricum ad Heliodorum, ut videtur, referendum proanaphonematis mentionem non fecit. Quid multa? Neque longius nobis a codicum auctoritate recessisse nec sive grammaticam sive metricam difficultatem reliquisse videmur locum corruptum emendantes: *τί φῂς σύ; ταῦτ' ἔδρων με κοὐκ ᾔδειν ἐγώ*; Ad *τί φῂς σύ*; cf. Vesp. 1378: *τί λέγεις σύ*; Av. 1233: *τί σὺ λέγεις*; Bamberg. de Rav. p. 24.

Eccl. 506 sqq.

Contione illa, in qua procuratio reipublicae delata est feminis, soluta, chorus mulierum redeuntium quum reliquum apparatum virilem tum barbas abjecturus est, quum Praxagora procedit hic verbis: *ταντὶ μέν, ὦ γυναῖκες, ἡμῖν εὐτυχῶς — τὰ πράγματ' ἐκβέβηκεν*,

ἀβουλεύσαμεν. — ἀλλ' ὡς τάχιστα, πρίν τιν' ἀνθρώπων ἰδεῖν, — ῥιπτεῖτε χλαίνας, ἐμβὰς ἐκποδὼν ἴτω, — χάλα συνάπτους ἡνίας λακωνικάς, — βακτηρίας ἄφεσθε· καὶ μέντοι σὺ μὲν — ταύτας κατευτρέπιζ', ἐγὼ δὲ βούλομαι κτλ. Tria sunt quae in his versibus Meinekium (cf. Vind. p. 195 sq.) offenderunt. Primum enim singularem numerum *χάλα*, medium positum inter plurales *ῥιπτεῖτε* et *ἄφεσθε*, in dubium vocavit, deinde monuit, inepte Praxagoram, postquam imperavit: *ἐμβὰς ἐκποδὼν ἴτω*, pergere: *χάλα συνάπτους ἡνίας λακωνικάς*, praesertim quum corrigia illa calceorum a comico quidem poëta non possent appellari *ἡνίαι λακωνικαί;* denique quae esset illa, cui Praxagora mutandarum chori vestium negotium injungeret, et quid opus esset tali opera non apparere, animadvertit. Harum difficultatum primam et alteram vir doctissimus facillime sibi visus est removisse, quum statuit, hunc versum aut aliunde illatum esse aut poëtam quempiam tragicum irridere. Ego neque de parodia, neque de versu spurio cogitaverim. Ac primum in numero singulari non est quod haereamus; quamquam enim nullum exemplum huic prorsus simile in promptu habeo, tamen singularis numerus et pluralis identidem tam arcte, ubi de choro sermo est, junguntur (cf. Vesp. 254 sqq., 727; Lys. 358 sq.; Av. 1090—99); ut eae, quas Ecclesiazusarum locus praebet vices numerorum, ab Aristophane prorsus abjudicari nequeant. — Gravissima altera est difficultas; verba: *χάλα συνάπτους ἡνίας λακωνικάς*, vulgatam quidem interpretationem si sequamur, et a sententia et a colore sermonis comici prorsus abhorrent. Quid vero, si *ἡνίαι σύναπτοι* non calceorum sint coria, sed vincula illa, quibus barbas mulieres adnexerant? Haec enim quo jure potuerint a comico poëta *ἡνίαι* appellari facile apparet; vinculis autem barbas adaptatas esse, ostendit verbum *περιδεῖσθαι* vv. 118. 121. 122. Quamquam si locum difficilem sic accipiamus, fieri non potest, ut *λακωνικάς* cum *ἡνίας* conjungatur. At dubito an cum voce insequente *βακτηρίας* ita illud conjungi possit, ut *λακωνικαὶ βακτηρίαι* sint bacula clavo similia, qualia solebant ferre ii, qui Lacedaemoniorum mores imitabantur. Cf. Av. 1281 sqq:

ἐλακωνομάνουν ἅπαντες ἄνθρωποι τότε,
ἐκόμων, ἐπείνων, ἐῤῥύπων, ἐσωκράτουν,
ἐσκυταλιοφόρουν

et quae una ex mulieribus illis vv. 76 sqq. profitetur:

ἔγωγέ τοι τὸ σκύταλον ἐξηνεγκάμην
τὸ τοῦ Λαμίου τουτὶ καθεύδοντος λάθρᾳ.

Restat, ut de tertia offensione quid ego sentiam, exponam. Cum Meinekio igitur ipse quoque verba: *ταύτας κατευτρέπιζε* corrupta esse censeo. Neque tamen cum viro doctissimo pro *ταύτας* scripserim *ταυτί;* ego conjicio: *ταῦτά σε κατευτρέπιζ'.* Haec enim, quum sententiae non minus, quam Meinekii emendatio, conveniant, facilius poterant in corruptelam abire.

Corrigenda. „Pag. 2, v. 18 ab in. pro *Δl* leg. *Δl'*. — Pag. 3, text. v. 8 a fin. pro restituterint leg. restituerint. — Pag. 10, v. 5 a fin. pro quomimus leg. quominus.